An. et vol. XXXXIII 20 Octobris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Decretales. p. 689 - Constitutiones Apostolicae, p. 710 - Litterae Apostolicae, p. 722 - Epistulae, p. 728 - Allocutiones, p. 730 - Adhortatio Apostolica, p. 738 - Nuntius radiophonicus, p. 744.

Acta Officiorum: *Commissio Pontificia de re Biblica*: Ratio periclitandae doctrinae candidatorum ad academicos gradus in Sacra Scriptura, p. 747.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - Segreteria di Stato: Nomine, p. 752.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 15 – 20 Octobris 1951)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

PAG.

I. *Deus misericordia.* – Beatae Bartholomaeae Capitanio, Congregationis Sororum a Caritate fundatrici, Sanctorum honores decernuntur. – 18 Maii 1950 689

II. *Ecclesiae alumni.* – Beatae Vincentiae Gerosa, virgini, Sanctorum honores decernuntur. – 18 Maii 1950 . . . 699

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. DE BRAZZAVILLE (Arcis Rousset). *Quo in Africa.* – Vicariatus Apostolici de Brazzaville territorium bipartitur et novus erigitur Vicariatus Apostolicus, Arcis Rousset nuncupandus. – 21 Decembris 1950 710

II. DE CHOWCHIH (Ceucevensis). *Arduum a Nobis.* – Praefectura Apostolica de Chowchih in dioecesim erigitur, Ceucevensem nomine. – 10 Maii 1951 . 712

III. SEATTLENSIS. *Dominici gregis.* – In civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis nova erigitur Provincia Ecclesiastica Seattlensis, cuius Metropolitana Ecclesia erit Cathedralis nunc exstans Ecclesia Seattlensis. – 23 Iunii 1951 714

IV. SEATTLENSIS-SPOKANENSIS (Yakimensis). *Divina Providentia.* – E dioecesium Seattlensis et Spokanensis territorio partes seiunguntur et nova exinde erigitur dioecesis, Yakimensis nuncupanda. – 23 Iunii 1951 716

V. DE ALASKA (Iunellensis). *Evangelii Praeconum ope.* – E latissimo territorio Vicariatus Apostolici de Alaska, pars seiungitur, quae in novam erigitur dioecesim, Iunellensem appellandam. – 23 Iunii 1951 . . . 719

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Quam Romani Pontifices.* – Nova Statuta Ordinis Equestris S. Sepulchri Hierosolymitani approbantur idemque in personam « iuridicam » erigitur. – 14 Septembris 1949 . . . 722

II. *Tanta in populo christiano.* – Ecclesia Deo in honorem B. Mariae V. dicata, in oppido « La Guerche de Bretagne » in Gallia posita, intra Rhedonensis archidioecesis fines, titulo Basilicae Minoris ornatur. – 12 Martii 1951 724

III. *Templi.* – Templum in honorem B. Mariae V. in Caelum Assumptae Deo consecratum, in oppido « Lugo » Imolensis dioecesis, honoribus Basilicae Minoris insignitur. – 13 Aprilis 1951 726

EPISTULAE

I. *Perantiqua.* – Ad Emum P. D. Clementem Episcopum Veliternum S. R. E. Cardinalem Micara, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectum eundemque Summi Pontificis Vicarium Generalem, quem Legatum mittit ad Conventum decimum Eucharisticum e tota Gallia in urbe Nemausensi habendum. – 24 Maii 1951 . . . 728

II. *Mox sexagies.* – Ad Emum P. D. Dominicum tit. S. Apollinaris S. R. E. Presb. Cardinalem Jorio, S. Congregazionis de disciplina Sacramentorum Praefectum, LX annos ab inito sacerdotio pie celebrantem. – 10 Septembris 1951 729

ALLOCUTIONES

I. Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes. – 18 Septembris 1951 . 730

II. Ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum. – 23 Septembris 1951 734

ADHORTATIO APOSTOLICA

Iis quae interfuerunt Conventui Internationali Monialium puellis educandis addictarum, Romae habito. – 13 Septembris 1951 738

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Christifidelibus ob Conventum Eucharisticum Nationalem e tota Gallia in urbe Nemausensi coadunatis. – 30 Septembris 1951 744

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA

Ratio periclitandae doctrinae candidatorum ad academicos gradus in Sacra Scriptura. – 20 Iunii 1951 . . . 747

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 752

II. Segreteria di Stato: *Nomine* . . . 752

An. et vol. XXXXIII 20 Octobris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

I

BEATAE BARTHOLOMAEAE CAPITANIO, CONGREGATIONIS SORORUM A CARITATE FUNDATRICI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Deus misericordia usus in humanum genus, iacens in tenebris neque salutem sibi reperiens, in Filio suo elegit nos, quemadmodum ait Apostolus, « ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate » (*Eph.*, 1, 4). Atque gloriosum est Ecclesiae, quae mysticum Christi Corpus est, innumerabiles fere se progenuisse viros et feminas, qui praestabili virtute atque egregie factorum laude exspectationem divini amoris explerent omnino, adeo ut ceteri ad eorum imitationem se possent componere. In his praedicamus religiosissimam virginem eandemque ingenuae florentem castitatis honore, cuius vitam perquam brevem, utpote sex et viginti annis circumscriptam, continere videtur caritas: Bartholomaeam Capitanio dicimus, quam ad Sanctorum Caelitum honores hodie sollemniter proveximus.

Quae *Loveri*, intra fines Brixiensis dioecesis, die tertio decimo mensis Ianuarii, anno millesimo octingentesimo septimo, nata, postridie sacro abluta baptismate, in bona filiorum Dei adoptata fuit. Sed, arcano Numinis consilio, non e laeto felicique viridario, ut assolet, hic

flos venustus exstitit; nam pater, Modestus Capitanio, vir satis illiberalis erat, in religionis praeceptis servandis incuriosus atque frequentis pertaesus familiae. Qui, Catharina Canossi secundis nuptiis ducta, agelli cultione atque mercatura victum quaeritabat.

At mater, quamvis e vulgo procreata, excellenti tamen erat animo et virtute, atque viri admissa ferebat modice ac verecunde. Cum autem miserum esset ei domum habere squalentem et liberorum mortibus saepe funestam, neque filiolae, natura paulo acriori, satis curae valeret impendere, hanc virginibus Claralibus, quae in oppido illo ludum exercebant, tradidit in disciplinam.

Bartholomaea, quae prope a teneris unguiculis, licet ineptiarum nugarumque, quas puerilis aetas fert, nequaquam esset expers, divinarum tamen rerum arserat studio, hoc in recessu locata, ad veram gloriam coepit virtutis via grassari. *Volo esse sancta, volo esse admodum sancta, volo esse citius sancta!* En iter, quod puellula sempiternae inhians beatitati virili animo affectavit. Quae potius a Deo subdita fuerat parentibus quam a parentibus Deo, demisse se gerens ac voluntariis cruciatibus suas frangens cupidines iugique Deo supplicandi usu cursum institutum properavit. Cum, annos nata decem, caeleste pabulum primum delibasset, a matre ducta est in oppidum Sancti Aloisi Gonzagae, quod *Castiglione delle Stiviere* vocant: ubi, in cultissimo templo ante intemerati adulescentis reliquias consistens, formam sanctitatis eximiam quandam concepit statuitque sibi tam nobilis Patroni aemulari virtutem. Itaque, condita in altitudinem, innocentiae animi retinens, frontis pudore formosa, adolevit atque sodalium turbae exemplum praebuit intaminatae iuventutis.

Immortalis laudis viam, sacerdote Angelo Bosio magistro, Bartholomaea tam perniciter carpsit, ut vix annum sextum decimum agens virginitatis votum nuncuparit. Quandoquidem autem propensione humana in alienis auribus solemus nostros deponere dolores, mater ob coniugis intemperatiam nimio maerore afficta, filiam saepe conveniebat, ut apud eam in questus se profunderet. Quae dum diffidentem rebus suis matrem confirmat atque erigit, sibimetipsi, sauciam neglegens naturam, vel plus cruciatuum in Eucharisticis epulis Dominum rogabat.

Ubi primum e ludo atque ab iis artibus excessit, quibus aetas puerilis ad humanitatem solet informari, domum revocata est. Sed Sorores, ne lectissimae adulescentulae virtus et copia sibi alumnisque deesset, matrem a consilio urbane depellentes, minorum institutionem illi crediderunt. Magistra quindecim annorum eademque suavis, pia et consi-

deratior quam pro aetatula, discipularum animos sibi conciliavit et fuit iis quaedam quasi vitae perfectrix. Neque minus fructuosa erant eius officia apud grandiusculas, quae mox in eius fidem sunt commissae.

Dum igitur Bartholomaea magis in dies alienatur a fluxis et inanibus saeculi huiusce studiis atque altius defigitur in Deo, ex amico illo perfugio reducta est in parentum domum, calamitosam atque sordidam. Patris impetus, ira saepe exaestuantis et uxorem contumeliis obruentis, blanditiis reprimebat ac retardabat, omnique ope annitebatur, ut pacem domesticam coagmentaret. Miraris propterea virginem, rubore perfusam, patrem, in cauponis paene diem noctemque terentem, ostiatim anquirere, tremebundum pedem ponere in turpi gargustio, parentem, ex vino vacillantem, domum deducere. Neque in cassum cecidit tanta virtus et constantia; nam duro et agresti animo vir, filiae exemplo ac suasione tandem mitescens, ad bonam frugem se recepit.

Interea nihil omittebat illa inexpertum, ut adversa fortuna laborantibus praesens adesset, pueris traderet christianae doctrinae elementa, devios in viam salutis induceret. Curione auctore, cui in animorum curatione operae plurimum praebebat, publice docendi iure potita, coepit profiteri. Sed et amplior patebat campus, in quo eius labor et industria excurrerent; condidit enim pro omnis fere aetatis et condicionis Christifidelibus pias sodalitates, sive a Sancto Aloisio, sive a Beata Maria Virgine, sive a Sacratissimo Corde Iesu nuncupatas, ex quibus uberrimus perceptus est fructus, ita ut essent qui praenuntiam consociationis, quae ab Actione Catholica appellatur, haud perperam eam haberent.

Aegrotantibus quoque assidebat in valetudinario, quod annos nata undeviginti summo cum consilio ac sollertia est moderata; sed etiam in tuguriis languentes invisebat et, sterili mensa ipsa victitans, stipem emendicare non dubitabat, qua pauperum inopiam sustentaret.

Eo praeterea contendebat alacris e Christi disciplina profecta alumna, ut in carcere iacentes relevaret atque animam agentibus suprema adhiberet religionis lenimenta.

Divino afflante Numine, iniit tum consilium, quod curioni, qua semper erat ingenuitate, credidit, Congregationem instituendi Sororum, quarum esset eiusmodi miserias sublevare. Postquam ergo, demortuo patre, a domestica occupatione se expedivit, nacta est aditum ad id conandum una cum muliere probatissima ac modice locuplete, quacum pius ipsi erat usus atque consuetudo: cum Catharina Gerosa dicimus, cui postmodum est inditum nomen Vincentia. Itaque die vicesimo primo mensis Novembris, in sollemnitate Beatae Mariae Virgi-

nis ad Templum deductae, anno millesimo octingentesimo tricesimo secundo, sacrifico ritu peracto, hae virgines, Christi actae amore, domum religiosam adierunt ibique, genibus nisae ante simulacrum Almae Deiparae, paupertatis, castimoniae, oboedientiae et caritatis votorum sponsione Domino sunt obligatae. Haec Sororum a Caritate, peculiari Mariae Infantulae praesidio obtectarum, Instituti initia, quod e tenui surculo in proceram arborem mox excrevit.

Vastum ingressa coenobium, Bartholomaea, soluta in constricta egestate, rebus in affictis fortunata, caritatis officia omne genus novo quodam impetu divino est aggressa; aliquot puellas parentibus orbatas in eam domum recepit et, quibus non riserat mater, eas casto amore amplectebatur virgo. Vincentiae Gerosa ut moderatrici subiecta erat et obnoxia, scilicet palmam latura consorti gloriosi laboris.

Verumtamen in ludo atque continente valetudinario desudantem et in acie cotidiani muneris se terentem, immatura oppressit mors in ipsis primordiis Instituti, ad cuius progressionem omne contulerat ingenium suum atque studium. Facta pupillorum mater atque rudium magistra, antequam in suam ipsa venisset tutelam, facta miserorum administra, cuius aetati vix suppeterent vires ad deserviendum, religiosae facta sodalitatis auctor, cui ea data lucis usura, quae ad hanc informandam aegre sufficeret, satis tamen vixit illa, nam « erat senectus mentis immensa » (*Off. S. Agnetis*).

Cum anno millesimo octingentesimo tricesimo tertio novum ver viridantes explicat gemmas, candidus hic flos arescit. Etenim febri correpta et pectoris tabe deficiens, fracta laboribus et voluntariis castigationibus, Bartholomaea lecto tenetur. Submisse ac patienter aggravescentis morbi tolerat molestias. Negat se dubitare quin Congregatio, cuius res videntur esse in proclivi, ad perpetuitatem sit mansura. Extremis Ecclesiae Sacramentis refecta, die vicesimo sexto mensis Iulii, eodem anno, patrio in oppido, Iesum et Mariam piissime compellans, diem supremum obiit virgo, « sancta et immaculata in caritate », cuius animi conversatio iam dudum erat in caelis.

Exanime corpus, cui lilia data manibus plenis, biduo post omni comitante populo, honestissime est elatum, ac de virginis laude a curione dictum graviter et magnifice. Nomen vero suum illa immortalitati commendavit sive mirabili vivendi ratione, cum aevum agitaret, sive, post obitum, prodigiis, quae, eadem deprecante, a Deo ferebantur patrata.

Quare de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis Causa coepta est agitari. Itaque, Processibus Ordinariis de vitae sanctimonia Famulae Dei rite institutis, iisque a Sacra Rituum Congregatione pro-

batis, Pius Nonus, Decessor Noster, introductionis Causae Commissionem manu sua signavit, die octavo mensis Martii, anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto.

Peractis deinde Processibus Apostolicis, disceptatum est de eiusdem Venerabilis Dei Ancillae virtutibus, quas gradum heroicum attigisse Leo Tertiusdecimus, item Decessor Noster, die sexto mensis Ianuarii, anno millesimo nongentesimo secundo, sollemniter edixit. Quibus rebus confectis, exercita est quaestio de duobus miraculis, quae omnipotens Deus, Venerabili Bartholomaeae Capitanio, deprecante, operatus esse dicebatur; atque, consuetis a Sacra Rituum Congregatione habitis comitiis, Pius Undecimus, quem proxime in Petri Cathedra sumus subsecuti, lato decreto die secundo mensis Maii, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto, pronuntiavit: *Constare de utroque miraculo; de primo nempe*: « *instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Sanctinae Rizzi ab inveterato fibromiomate uteri, gravissimis stipato symptomatibus* »; *deque altero*: « *instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae Donadelli a chronica tuberculosi ad extremum gradum deducta* ».

Die autem vicesimo secundo eiusdem mensis et anni idem Decessor Noster *Tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Bartholomaeae Capitanio Beatificationem* declaravit. Cuius sollemnia in Basilica Vaticana die tricesimo mensis Maii, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto, cum sueto splendido ritu atque fidelium frequentia celebrata sunt.

Cum deinde Beatae Bartholomaeae Capitanio deprecatione nova dicerentur a Deo patrata miracula, Causa ad Canonizationem consequendam resumpta fuit, et super duabus miris sanationibus, quae eadem Beata deprecatrice affectae dicebantur Apostolici instituti sunt Processus.

Primum miraculum contigit Petro Lorandi, in oppido Lovero, in Dioecesi Brixiensi, carcinomate in recto laboranti, quod adeo insaeviit, ut illud saltem sex medici secari non posse ducerent atque letale. Cum nullum tanto morbo remedium afferri posset, atque infirmus in peius rueret, Beatae Bartholomaeae patrocinium, non sine pii medentis consilio, invocatum est, felicique exitu. Die enim undevicesimo mensis Augusti, anno millesimo nongentesimo tricesimo septimo, Petrus omnino sanatus est, et quidem perseveranter. Periti a Sacra Rituum Congragatione electi una sententia cum ipsis medentibus in diagnosi, letali prognosi ac miraculo convenerunt.

Nec minus perspicuum fuit alterum miraculum, quod accidit Sorori Alosiae Reguzzi, ex Instituto Sororum a Caritate a Beata Bartholomaea condito, Bergomi, in principe religiosae huius familiae domo commoranti, et, anno millesimo nongentesimo tricesimo octavo ineunte, in

inferiore labio epitheliomate affectae. Morbus sive a medicis sive a tribus peritis ex officio dictus fuit insanabilis. Sed, cum mense Octobri eiusdem anni in honorem Beatae Bartholomaeae novendiales preces inceptae essent, quarto vel quinto die de repente Soror Aloisia sanam se perfecte sensit, nec in tantum morbum amplius recidit. In arte medica periti ceterique testes miraculo sanationem hanc iure tribuerunt.

Utrumque miraculum a Sacra Rituum Congregatione, tribus de more coactis comitiis, diligenti examine expensum est: in « antepraeparatorio » coetu, die tricesimo mensis Aprilis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto, coram dilecto Filio Nostro Friderico S. R. E. Presbytero Cardinali Tedeschini, Causae huius Ponente seu Relatore; in « praeparatorio », die tertiodecimo mensis Aprilis, duobus annis post, coram Purpuratis Patribus Sacris tuendis Ritibus praepositis; demum in «generali», die duodevicesimo mensis Ianuarii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono, coram Nobis, eodem Emo Cardinali dubium proponente: *An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Omnes autem, qui aderant tum Patres Cardinales tum ipsius S. Congregationis Praelati et Officiales propositas sanationes miraculo tribuendas esse affirmarunt. Nos vero ad Nostrum proferendum iudicium cunctandum esse censuimus, ut maiorem superni luminis copiam, enixis precibus ad Deum admotis, imploraremus. Die igitur tertiodecimo mensis Februarii, eodem anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono, Dominica in Septuagesima, Nostram volentes sententiam ferre, accitis Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, memorato Patre Cardinali Causae Ponente, Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulo Seleuciensi in Isauria et eiusdem Sacrae Rituum Congregationis Viro a Secretis, nec non dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, postquam Divina Hostia pie litavimus, sollemniter decrevimus: *Constare de duobus miraculis a Deo per Beatae Bartolomaeae Capitanio intercessionem patratis*: nimirum *de instantanea perfectaque sanatione cum Petri Lorandi a carcinomate in recto, tum Sororis Aloisiae Reguzzi ab epitheliomate in labio inferiore.*

Ad huius ergo Causae felicem exitum apud S. Rituum Congregationem unum dubium excutiendum supererat, an scilicet, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem tuto procedi posset ad sollemnem ipsius Canonizationem. Quod quidem dubium in generali Congregatione, die vicesimo

secundo mensis Februarii, eodem anno, coram Nobis expensum est, atque omnes, qui aderant, cunctis sententiis id affirmaverunt. Nos tamen pro rei magnitudine mentem aperire distulimus atque adstantes sumus cohortati, ut submissas Deo adhiberet preces quo maius lumen Nobis impertire dignaretur.

Tandem, re mature perpensa, die sexto mensis Martii, Dominica prima in Quadragesima, eodem, quem diximus, anno, apud Nos convocatis Patribus Cardinalibus, quos memoravimus, atque Sacri Consilii Ritibus tuendis praepositi viro a Secretis, nec non Fidei Promotore Generali, et Eucharistico Sacrificio peracto, ediximus: *Tuto procedi posse ad Beatae Bartholomaeae Capitanio Canonizationem.*

Cum itaque iam tempus maturaret hanc Dei Famulam supremis Caelitum honoribus decorandi, Decessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, Consistoria indiximus. *Secretum* die decimo quarto mensis Martii ipsius anni coactum est, in eoque Venerabilis, quem iam memoravimus, Frater Noster Clemens Cardinalis Micara sermonem habuit de vita et miraculis Beatarum Bartholomaeae Capitanio, Virginis, Legiferae Matris Instituti Sororum a Caritate; Mariae Iosephae Rossello, Virginis, e Tertio Ordine S. Francisci, Legiferae Matris Instituti Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia; Ioannae de Valois, Galliae Reginae, Legiferae Matris Ordinis SSmae Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, ac recensuit acta, quae in Causis Beatificationis et Canonizationis earundem Beatarum S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, probaverat.

Eodem die, Consistorio secreto absoluto, statim habitum est Consistorium *publicum*, in quo dilecti Filii Consistorialis Aulae Advocati, ante solium Nostrum stantes, de illarum, quas modo diximus, Beatarum atque de Beatarum Vincentiae Gerosa, Virginis, alterius Legiferae Matris Instituti Sororum a Caritate, et Ioannae de Lestonnac, Viduae, Legiferae Matris Ordinis Filiarum Beatae Mariae Virginis, vita, virtutibus et miraculis breviter singillatim retulerunt, et a Nobis postularunt ut Beatis illis Sanctorum dignaremur coronam imponere. Pro Beata autem Bartholomaea Capitanio dilectus Filius Philippus Re, alter ex Advocatis illis, eleganter peroravit. Nos vero, ut normae sapienter a maioribus praescriptae servarentur, non ante iudicium Nostrum laturos diximus quam in Consistorio *semipubblico* Purpuratos Patres, iterum, atque venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos in Urbem adfuturos de eorum sententia cognoverimus. Quod quidem Consistorium eodem anno, die secundo Maii mensis, in consueta Vaticani Palatii aula coactum est, ibique Nos, brevi prius

sermone astantes Cardinales et Sacrorum Antistites allocuti, ipsos rogavimus ut, re plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in Consistorio *publico,* tum ex actis S. Rituum Congregationis, quorum exemplaria unicuique ipsorum ex mandato Nostro iam tradita fuerant, quid de Beatarum Bartholomaeae Capitanio, Vincentiae Gerosa, Mariae Iosephae Rossello, Ioannae de Valois, et Ioannae de Lestonnac Canonizatione sentirent Nobis ex ordine significare vellent.

Omnium autem suffragiis exceptis, laeto animo didicimus concordi eos sententia Beatas Caelites, de quibus agebatur, plane dignas aestimare quae Sanctitatis diademate decorarentur.

Ad uniuscuiusque igitur Beatarum illarum Canonizationem sollemni ritu in Vaticana Basilica celebrandam diem diximus. Pro Canonizatione autem Beatarum Bartholomaeae Capitanio et Vincentiae Gerosa simul celebranda diem statuimus decimum octavum mensis Maii proximi Anni Sacri millesimi nongentesimi quinquagesimi. De quibus omnibus rebus ut acta conficerentur astantibus Protonotariis Apostolicis mandavimus.

Cum itaque hic a Nobis praestitutus dies illuxit, omnes regularis et saecularis Cleri Ordines, Romanae Curiae Praesules et Officiales, non pauci Abbates, Episcopi, Archiepiscopi et Patriarchae atque amplissimum Patrum Cardinalium Collegium in Petrianam Basilicam magnifice exornatam et innumera fidelium copia, quos inter plurimae Sorores ex Congregatione a Beatis illis condita iam stipatam, convenerunt. Quibus omnibus pia supplicatione praeeuntibus, ac Sanctorum Litanias recitantibus et hymnum *Ave Maris Stella* praecinentibus, eandem Basilicam, universo Clero et populo plaudente, ingressi sumus, atque, brevi ad altare maximum effusa prece, ad Cathedram Nostram perreximus. Tunc, praestita prius Nobis, uti de more, ab astantibus Cardinalibus oboedientia, Venerabilis Frater Noster Clemens Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus, et utriusque Beatae Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Philippo Re, Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius et instantissime* postulavit ut Beatis Bartholomaeae Capitanio et Vincentiae Gerosa Sanctorum honores decerneremus. Cui peroranti Advocato Nos per dilectum Filium Antonium Bacci, ab Epistolis ad Principes, respondimus Nos iam in eo esse ut duas illas sacras Virgines sanctitatis infula decoraremus, sed antea Divini Paracliti lumen hymno *Veni Creator* esse implorandum. Quo hymno expleto, Nos, in Cathedra sedentes, ut universae Christi Ecclesiae Magister sollemniter pronuntiavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Ca-*

tholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam Bartholomaeam Capitanio et Beatam Vincentiam Gerosa Sanctas esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illarum memoriam quolibet anno die earum natali, Bartholomaeae nempe die XXVII Iulii et Vincentiae XXVIII Iunii inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠Sancti.

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes eiusdem Cardinalis Micara, per eundem Advocatum Consistorialem, Nobis porrectis, hasce Decretales sub plumbo Litteras confici expedirique iussimus; astantibus vero Protonotariis Apostolicis ut de Canonizatione hac instrumenta construerent mandavimus. Gratias mox Omnipotenti Deo egimus hymnum *Te Deum laudamus* una cum confertissima multitudine canentes, ac novensilium Sanctarum patrocinium invocavimus deque illis brevi homilia teximus elogium, animo sane gestientes, quod per Nos Deus harum Caelitum gloriam manifestare dignatus fuerit. Apostolicam denique benedictionem et plenariam indulgentiam astantibus peramanter impertivimus, atque, incruento sacrificio ad altare maximum pontificali ritu oblato, sollemnis Canonizationis caerimoniis finem imposuimus.

Quibus de more peractis, nihil aliud restat quam Christifideles omnes hortari et in primis Sorores a Caritate, quarum Bartholomaea Capitanio, Sanctorum ordinibus modo ascripta, auctor fuit, ut vehementer gaudeant, quod, huiusce aetatis procellis iactati, novam habeant in caelo patronam ac tutricem. Ex ea similitudinem ducant in eiusque formam se forment mores nostrorum temporum, quibus religio christiana improbe petitur, prolapsa est in vitia saeculi prava consuetudo, plurimi rerum inopia laborant aliisque premuntur angustiis. Illa sane vitae ratione, quam in hac virgine probavimus, noverint universi veram ac diuturnam pacem tandem confici posse atque tranquille placideque aevum traduci.

Omnibus itaque quae inspicienda erant bene perspectis, certa scientia et Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universae Ecclesiae Catholicae denuntiamus, mandantes, ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti muni-

tis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris Litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae essent.

Si quis autem has Litteras definitionis, decreti, mandati et voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Sacro millesimo nongentesimo quinquagesimo, die decimo octavo mensis Maii, Pontificatus Nostri duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego EUGENIUS Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae Cardinalis TISSERANT, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

✠ Ego FRIDERICUS Episcopus Tusculanus Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego ALEXANDER titulo S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego DOMINICUS titulo S. Apollinaris Presbyter Cardinalis IORIO.

Ego MAXIMUS titulo S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.
Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.
Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario
EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

CLEMENS Card. MICARA
S. Rituum Congr. Pro-Praefectus

Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleucien in I., *Dec. Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Ap. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA
die vicesimo sexto Iulii, anno tertio decimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 94. – Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

II

BEATAE VINCENTIAE GEROSA, VIRGINI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesiae alumni praestantissimi, « aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta » (*Hebr.*, XI, 2), Servatoris vitam consueverunt pro viribus imitando exprimere, fluxas saeculi delicias aspernari et « crucis stultitiam » habere pro sapientia. Et quemadmodum Deus « glorificavit filium suum Iesum » (*Act. Apst.*, III, 13), ita et qui, cum hisce in terris versarentur, mala patienter, Dei causa, toleraverunt atque submissum gesserunt animum, ii profecto, terrenae vitae expleto cursu, caelesti circumfluunt gloria atque immortali memoria celebrantur.

Quorum perpetuo agmini summa cum religione et caeremonia annumeravimus hodie Beatam Vincentiam Gerosa, quae ut cum Bartholomaea Capitanio egregiam sociavit operam ad Sodalitatem condendam Sororum a Caritate, ita cum eadem nunc pari sanctitatis laude coniungitur.

Loverum pagus, quem dicunt, cum probetur in vulgus ut qui positus

ad caeruleum lacum Sebinum ac praediorum amoenitate formosissimus, est tamen nobilior eo quod utraque virgo primam ibi aspexit lucem. Catharina, cui postea inter sanctimoniales cooptatae nomen Vincentia, die undetricesima mensis Octobris, anno millesimo septingentesimo octogesimo quarto, nata est e Iacoba Macario, uxore Ioannis Antonii Gerosa, qui una cum fratribus et sororibus mercaturam exercebat ac religionem colere solebat diligenter. Infantula triduo post sacro lustrata baptismate, ex eo quasi igniculos ac semina virtutum putanda est excepisse, quae, aetate progrediente, ad perfectionem absolutionemque pervenerunt. Itaque puella, procul ab hominum coetu atque municipii tumultu ad parentum instituta disciplinam, ad res divinas admodum composita, blanda dictoque audiens, insuetum addebat decus patriae domui, quam Deus magis in dies amplificabat fortunis.

Cum autem, ex motu atque conversione rei publicae Gallicae, in illo pago quoque Ecclesiae iura et maiorum mores confunderentur, Catharina, ut triste nefas piaret, etiam vehementiore pietate in gentis humanae Parentem ferebatur, non dubitans corpusculum macerare, illiberales subire labores, noctem agere insomnem in humilitate et obsecratione.

Quo tempore accidit, ut eius familiam inter atque patruos amitasque, una omnes habitantes, infestae orirentur simultates, quibus exulcerati sunt animi ac communis vita facta insuavis. Haec moderate patiebatur virgo, quae a Christo, magistro suo cruci affixo, non desciscens, silentium obtinebat omniumque laeta inserviebat commodis, praesertim cum in taberna pellaria merces venditaret.

Nuptias neque impares neque inhonestas detrectans, litteras cuiusdam, qui eam sibi expetiverat, flammis iniecit, quod erat ab alio amatore praeventa, caelestem dicimus Sponsum, quem vel inter gliscentes sollicitudines et aerumnas unice diligebat. Iam pater, maerore confectus atque aegritudine absumptus, in summum vitae adductus est discrimen; sed, quem fratres paene dereliquerant, eum filia confirmavit, ita ut animam effunderet pacatam. Neque post multum tempus mortalitatem explevit Catharinae soror religiosissima nomine Francisca, quae in ipso quasi aetatis flore, antequam curreret, rettulit palmam.

Opinione autem omnium maiorem Famula Dei animo cepit dolorem cum Ambrosius patruus, qui negotiorum curator erat, matrem Iacobam domo exactam inopia afflixit, sibique filiae praedixit ne eam, a qua in luminis auram esset educta, consuetudine ac necessitate attingeret. Quae igitur aerumnosa mater, a patrio devulsa foco, et de fortunis omnibus deturbata, tredecim annos trahebat in lacrimis et luctu. Cum demum gravi implicita esset morbo, Catharinae permissum est ut afflictam pau-

lisper inviseret ac nimis brevi foveret levatione. Sola in sordida casula mater naturae concessit, sola in lautarum aedium cubiculo filia, potestatem non habens opitulandi animam agenti, cum ea paene est commortua. In tanta acerbitate virgo non nisi Christum in crucem sublatum habebat, ad quem confugeret, in quo conquiesceret, in cuius transverberato Corde omnes curas doloresque deponeret.

Incidit autem domesticus hic luctus in ipsam flammam civilis discordiae et belli, quae rei publicae Gallicae eversionem sunt subsecuta quibusque pagi opes pessumdatae sunt et attritae. Ad quas turbas accessit fames ac pestilentia, ita ut videres alios in vicis vel silvis intereuntes, alios descendentes ad mendicandum, omnes denique res miseras et calamitosas. Enituit tum Catharinae studium communis utilitatis, nam, quae numquam defuerat victum roganti, deminutis illa clade plurimorum copiis, duplicavit pauperum subsidia. Ideo, quae esset mater infantium, quos egestas materno destituerat nutricio, operarum conductrix, ne patres familias quaestus inopia laborarent, atque medica infirmorum, quorum valetudini nulla salutaris ars consulebat, praeclara virgo municipes ad sui spectaculum evocavit.

Patruum quoque Ambrosium, antequam vita fungeretur, in eam impulit mentem, ut domum quamdam, in qua valetudinarium constitueretur, aegrotis indigentibus legaret; quos, coepta maturans, iussit hanc adire hereditatem; ac persuasum sibi habens vel foedissimos quosque et maxime turpificatos Christi sustinere personam, nulli parcebat labori, ut corporibus et animis ipsorum mederetur.

Verum tamen, restincto militaris tumultus incendio, morbo pestifero depulso et convalescente iam annona, cives a religione deterriti ad cultum Dei vitaeque probitatem erant reducendi; qua in re Catharina operam Rusticiano Barboglio curioni navavit egregiam. Praefecta enim puellis educatione doctrinaque christiana instituendis, eas veluti magistra considerata ad pietatem informabat atque, divino flagrans amore, annitebatur, ut homines scelerum cumulatissimos vel in carcerem detrusos ad paenitendum permoveret. In aedes, necessariorum mortibus desertas, quas ipsa incolebat, sodalitatem puellarum a Beata Maria Virgine curione auctore excepit, ita ut, ubi negotiationis opus ferbuisset, ibi de sempiterna adipiscenda beatitate tractaretur. Cui consociationi allatum est non mediocre incrementum, postquam Bartholomaeam Capitanio sociam se adiunxit, quae Catharinae laudum exstitit aemula piissima neque eiusdem exsors gloriae supernae.

Famula Dei, quae iam pridem virginitatem voti sponsione Dei Numini consecraverat nomenque dederat tertio ordini Franciscali, obsecuta

est tandem, licet verecunde ac dubitanter, Bartholomaeae expetenti, ut secum coiret de Instituto Sororum a Caritate condendo; scilicet haec, annum agens duodevicesimum et gestiente animo magna moliens, sodalem natu longe maiorem, quae contra dicebat se nihil esse studio tanti operis aggrediendi incendit. Obstinata mente amitae Mariae excussa, quae ex propinquis Catharinae una supererat, omnique expedita difficultate, festo die Almae Deiparae a parentibus Domino in Templo devotae, anno millesimo octingentesimo tricesimo secundo, post sacra Eucharistica, ambae virgines a sacerdotibus paucisque familiaribus in novum coenobium sunt deductae, ubi ante Caelorum Reginae simulacrum paupertatis, castimoniae, oboedientiae et caritatis vota nuncupaverunt, in summo loci illius squalore ac solitudine maximo cumulatae gaudio.

Sed Catharina, ut herctum cieret, in tempus ad amitam revertit, cuius animum indignabundum officio et pietate deleniebat. Dum Bartholomaea, aerumnosorum administra non defatigata, quasi in solem et pulverem procedit, haec, cui et antistitae munus creditum, rei oeconomicae curam impendebat, adeo ut parva sodalitas, quae Mariam Infantulam praecipuam habebat tutricem, magnam sustineret exspectationem. Attamen, die decima sexta mensis Iulii, anno millesimo octingentesimo tricesimo tertio, virgo Instituti auctor, quae ea condicione nata esse videbatur, ut semen conderet humo, vita excessit. « Demortua Bartholomaea, valeat Institutum! ». En sermunculus, quo plebs maestam ac sollicitam sodalem obtundebat. Quae igitur, cum haereret quid faceret vel quo dirigeret cursum, nolens suo uti ingenio, auctoritate pii cuiusdam sacerdotis et conscientiae suae iudicis mota est, ut opus inchoatum perficeret.

Itaque, consultis facta iungens, nihil non elaborabat in confirmanda sodalitate. Re quidem vera haec, praeceptis conformata Sancti Vincentii a Paulo, a quo Catharina nomen accepit Vincentiae, atque, anno millesimo octingentesimo tricesimo quarto, in collegiis civili lege probatis ascripta, plurium sacrarum virginum cooptatione, Christi amore percitarum, maxime est aucta.

Quamvis minimam se omnium existimaret, erat antistita sociarum prudens, mater et magistra, easque, quasi alumnas disciplinae suae, hortationibus et virtutum exemplo provocabat ad rectum iter vitae insistendum. Cum igitur, anno millesimo octingentesimo tricesimo sexto, cholera morbus in Loverum incidisset civesque nimio pavore essent offusi, nulla vi coactae sorores omnes pro aegrotorum ac morientium salute pericula laboresque alacres obierunt. Nihil proinde mirandum, quod Institutum non solum municipum sed etiam finitimorum, sibi peperit laudem, et a

Gregorio XVI, Decessore Nostro, die quinto mensis Iunii, anno millesimo octingentesimo quadragesimo, est probatum.

Sed iam in ramos dividi coepta est haec arbor, quam « plantavit » Bartholomaea, Vincentia « rigavit » et cui Deus « incrementum dedit ». Quattuor enim et viginti virginum a Caritate domicilia, cum hac luce frueretur moderatrix, in regione praesertim cisalpina, constituta sunt, qua in re Vincentia operae plurimum ac laboris consumpsit.

Luxuriante ergo segete, demisso ac subiecto animo virgo adventum Sponsi praestolabatur. Adversa valetudine correpta neque instantis mortis inscia, omnia ut consulta mater familias dispensavit et composuit, testamentum conscripsit atque, sarcina rerum deposita, voluit, ut Crucifixa Rivellini, sororum noviciarum magistra, in suum succederet locum. Obtutum in solo Deo figens ac viriliter aegrotans, ad vitae metam properavit. Ecclesiae Sacramentis piissime sumptis filiabusque ad sanctimoniam excitatis, die undetricesimo mensis Iunii, anno millesimo octingentesimo quadragesimo septimo, superorum choris est inserta, virtutis consiliique sui triste desiderium relinquens.

Examine corpus supremo officio ornatissime est mandatum neque umquam desita tanta vitae probitas omnium consensione celebrari.

Qua fama sanctitatis ob prodigia quoque percrebrescente, quae Deus, Vincentia Gerosa deprecante, patrare ferebatur, causa de eadem in Beatorum Caelitum fastos referenda agi coepta est. Processibus igitur ordinaria auctoritate perfectis. Pius X, Decessor Noster, die duodecimo mensis Decembris, anno millesimo nongentesimo sexto, commissionem introductionis causae, apud Sacram Rituum Congregationem instituendae, sua signavit manu. Cum deinde exerceretur quaestio de virtutibus sive theologalibus sive cardinalibus Venerabilis Famulae Dei, Pius XI, omnibus rite perpensis et disceptatis, die vicesimo quarto mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo, eas ad gradum heroicum pervenisse sollemniter edixit.

Quibus absolutis, tractari coeptum est de miraculis, quae Venerabili hac Virgine deprecante, a Deo dicebantur affecta. Itaque, post acres investigationes probationesque, idem Decessor Noster, die vicesimo secundo mensis Ianuarii, anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio, decrevit: *Constare de duobus miraculis, Venerabili Vincentia Gerosa deprecante, a Deo patratis,* scilicet: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae Seraphinae Magnifico a tuberculari spondylite in plurimos ossifluentes abscessus novem annos eam afficiente et prodeunte usque in marasma tuberculare;* nec non: *Instantaneae perfectaeque sanationis So-*

roris Mariae Placidae Zanisi a tubercolosi pulmonum et praecipue peritonaei pessimis aliis stipata symptomatibus.

Paulo post, decreto lato die tertio decimo mensis Februarii, eodem anno, idem Decessor Noster pronuntiavit: *Tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Vincentiae Gerosa beatificationem.*

Quae quidem sacra in Vaticana Basilica, Christifidelium multitudine plurimisque Sororibus a Caritate adstantibus, die septimo mensis Maii, anno millesimo nongentesimo tricesimo tertio, sueto cum ritu sunt celebrata.

Cum vero, novensili Beata deprecante, alia a Deo dicerentur patrata prodigia, causa de Sanctorum Caelitum honoribus eidem tribuendis quattuor post annos resumpta est. Institutis igitur Apostolicis processibus de miris sanationibus, hac Virgine suffragante, impetratis, duae ab actoribus sunt propositae quibus Vincentiae Gerosa sanctitas comprobaretur.

Primum miraculum contigit Sorori Elisae (in saeculo Esther) Sangalli, febri subcontinua correptae, quae, apyreticis periodis interiectis, graviter eam vexabat usque ad curationem, die tertio decimo mensis Maii, anno millesimo nongentesimo tricesimo quinto, Bergomi, praeter naturae ordinem, effectam.

Medici tubercolari peritonite eam affectam fuisse edixerunt; quam diagnosim tres periti a Sacra Rituum Congregatione allecti confirmaverunt. Morbus adeo invaluit, ut curantes laparatomiam necessariam esse rati essent. Verum cum in eo essent chirurgi ut infirmum corporis membrum secarent, omnia morbi symptomata disparuisse iidem mirati sunt.

Nec minus mirabilis altera sanatio est habenda. Appendicites enim prius chronica, deinde, anno millesimo nongentesimo tricesimo sexto, acuta, cui addita est peritonites cum abscessu, appendicularis originis, adeo Sororem Felicem Ceriani affecerat, ut medentium consilio chirurgicae sectioni, die tertio decimo mensis Martii, foret subicienda. Attamen una ante mediam noctem hora, infirma, quae una cum sodalibus enixas ad Beatam Vincentiam preces admoverat, somno placido est consopita. Proximo mane Soror Felix, aegrae ministra et antistita nullum amplius exstare dolorem atque cetera morbi signa omnino evanuisse perfectamque sanationem evenisse agnoverunt; quam eodem die medicus confirmavit.

De utraque sanatione ex more in suetis Sacrae Rituum Congregationis comitiis ac postremo coram Nobis die vicesimo septimo mensis Aprilis,

anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, disceptatum est; quo in generali conventu, Dilecto Filio Nostro Friderico Presbytero Cardinali Tedeschini, causae Ponente seu Relatore, dubium proponente: *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum, de quo agitur,* omnes, qui adfuerunt, cum Cardinales tum Praelati Officiales Patresque Consultores cunctis sententiis id affirmaverunt. Nos autem, pro rei magnitudine, mentem aperire distulimus, ut ad tam gravem sententiam ferendam, Deo impense supplicantes, supernum auxilium impetraremus. Itaque, die vicesimo tertio mensis Maii, eodem anno, accitis Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, atque dilecto Filio Nostro Friderico Cardinali Tedeschini Causae Relatore, quem diximus, Venerabili Fratre Alfonso Carinci Archiepiscopo titulo Seleuciensi in Isauria atque eiusdem Sacri Consilii Viro a Secretis, et dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, postquam sacris pie sumus operati, sollemniter ediximus: *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Sororis Elisae Sangalli a gravi peritonite tuberculari tum Sororis Felicis Ceriani ab acuta peritonite tuberculari cum abscessu, appendicularis originis, iliacae fossae dexterae.*

Quae causa ut ad felicem perveniret exitum, unum dubium supererat excutiendum, an, duobus miraculis rite probatis, ad Sanctorum Caelitum honores tuto provehi posset Beata Vincentia Gerosa. Quod dubium in generali conventu, die octavo mensis Iunii, eodem, quem supra diximus, anno, coram Nobis habito, a memorato Cardinali Relatore propositum est; cum vero omnes, qui adfuerunt, Cardinales, Praelati Officiales, Patresque Consultores id annuissent, Nos ad certum dandum responsum aliquod temporis spatium interiecimus, quo enixas Deo preces adhiberemus.

Die igitur undecimo eiusdem mensis et anni, convocatis, quo memoravimus, Patribus Cardinalibus Clemente Micara et Friderico Tedeschini, atque eximiis viris Alfonso Carinci et Salvatore Natucci, post Eucharisticum Sacrificium, hanc tulimus sententiam: *Tuto procedi posse ad Beatae Vincentiae Gerosa, Virginis, sollemnem Canonizationem.*

Quibus peractis, tria habenda erant consueta Consistoria, quorum primum, *secretum* videlicet, die vicesimo primo Iunii mensis eodem anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, habitum est, in quo, S. R. E. Cardinalibus apud Nos convocatis, venerabilis Frater Noster Clemens Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus, sermonem ha-

buit de vita et miraculis tum Beatae Ioannae de Lestonnac, viduae, fundatricis Ordinis Filiarum Beatae Mariae Virginis, cum Beatae Vincentiae Gerosa, virginis, alterius fundatricis Ordinis Sororum a Caritate, ac recensuit acta quae in causis Beatificationis et Canonizationis earumdem Beatarum S. Rituum Congregatio, praevio diligenti examine, admittenda et probanda duxerat. Qua relatione expleta, Nos adstantium Cardinalium sententiam exquisivimus, ipsique omnes sibi omnino in votis esse edixerunt ut Beatae illae Sanctorum Caelitum honoribus decorarentur.

Secundum Consistorium, *publicum* videlicet, die decimaquarto Martii mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono in consueta Palatii Apostolici Aula apud Nos coëgimus, et in eo dilecti Filii S. Consistorii Advocati, ante Nostrum solium stantes pro Causis Canonizationis B. Bartholomaeae Capitanio, virginis, Fundatricis Instituti Sororum a Caritate; B. Vincentiae Gerosa, virginis, alterius Fundatricis eiusdem Instituti; B. Mariae Iosephae Rossello, virginis, e Tertio Ordine S. Francisci, Fundatricis Instituti Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia; B. Ioannae de Valois, Galliarum Reginae, Fundatricis Ordinis SS. Annuntiatae; Ioannae de Lestonnac, viduae, Fundatricis Ordinis Filiarum B. Mariae Virginis. Pro Beata Vincentia Gerosa dilectus Filius Ioannes Baptista Ferrata eleganter peroravit. Quibus Consistorialibus Advocatis dilectus Filius Antonius Bacci, a Secretis Brevium ad viros Principes, nomine Nostro respondit Nobis quoque in votis esse stellantibus Ecclesiae caelis nova lumina adicere; verumtamen, ut antiquus Apostolicae Sedis mos in re tam gravi religiose servaretur, non antea Nos decretoriam sententiam esse laturos quam in Consistorio *semipublico* hisce super Causis, Patres Cardinales iterum, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos quotquot Romam adfuturi essent, consilium rogaverimus. Ut vero Sacrorum Antistites de rebus omnibus ad has Causas spectantibus certiores fierent, praecepimus ut S. Rituum Congregationis cura, eorum singulis commentaria mitterentur de Beatarum illarum vita, virtutibus et miraculis deque actis in earum Canonizationis Causis. Adstantes omnes denique hortati sumus ut interea Spiritus Sancti lumen, multiplicatis precibus, Nobis conciliarent.

Hoc autem Consistorium *semipublicum* die secundo mensis Maii eiusdem anni habitum est; in quo Nos, brevi sermone adstantes allocuti, eos rogavimus ut quid de propositis Causis sentirent Nobis singillatim significare vellent. Exceptis suffragiis, laetati sumus admodum concordibus eos vocibus audire dicentes Beatas Caelites, de quibus agebatur, plane

dignas quae sanctitatis honoribus decorarentur. Nos itaque minime cunctandum esse diximus ad earum Canonizationem devenire, atque diem statuimus ad eiusmodi solemnia in Vaticana Basilica celebranda.

Canonizationi autem Beatarum Bartholomaeae Capitanio et Vincentiae Gerosa simul celebrandae diem statuimus decimum octavum mensis Maii proximi Anni Sacri. De quibus omnibus ut publicum conficerent instrumentum Caerimoniarum Apostolicarum Praefectus, loco Procuratoris Fiscalis Rev. Camerae Apostolicae, adstantibus Protonotariis Apostolicis nomine Nostro de more mandavit.

Statuto tandem adveniente die, omnibus tum saecularis tum regularis cleri ordinibus, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus, pluribus Abbatibus, Episcopis, Archiepiscopis et Patriarchis, atque S. R. E. Cardinalibus solemni pompa praeeuntibus, Sanctorum Litanias recitantibus et hymnum *Ave Maris Stella* canentibus, Petrianam Basilicam, magnificentissimo ornatam apparatu, et innumera fidelium copia iam stipatam, quos inter plurimae cernebantur Sodales ex Instituto Sororum a Caritate, Nos ipsi ingressi sumus, et, brevi prius ante altare maximum effusa prece, ad Nostram Cathedram perreximus.

Tunc, praestita Nobis, ut de more, ab astantibus Cardinalibus oboedientia, venerabilis Frater Noster Clemens Micara, Episcopus Velitrnus, S. Rituum Congregationis Praefectus et huic duplici Canonizationi procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Philippo Re, Aulae Consistorialis Advocato, *instanter, instantius, instantissime* a Nobis postulavit ut Beatis Bartholomaeae Capitanio et Vincentiae Gerosa Sanctorum honores decerneremus. Cui perorationi Nos per dilectum, quem supra diximus, Filium Antonium Bacci, a Secretis Brevium ad Viros Principes, respondimus Nos quoque vehementer cupere duas illas sacras virgines, quae e caelestis beatitatis sede iam Nobis arrident, sanctitatis infula decorare.

Hymnum *Veni Creator* una cum fidelium multitudine dein cecinimus, a Paraclito Spiritu implorantes ut ab Eo superni luminis copia magis magisque menti Nostrae coruscaret. Quo expleto, Nos, in divi Petri cathedra sedentes, uti supremus universae Christi Ecclesiae Magister, solemniter pronuntiavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum*

in Urbe exsistentium consilio, Beatam Bartholomaeam Capitanio et Beatam Vincentiam Gerosa, Sanctas esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illarum memoriam quolibet anno die earum natali, Bartholomaeae nempe die vicesima septima Iulii, et Vincentiae vicesimae octavae Iunii inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debere. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti.

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes eiusdem Cardinalis Clementis Micara, per eundem Advocatum Consistorialem Philippum Re Nobis porrectis, hasce Decretales sub plumbo Litteras confici expedirique iussimus; astantibus vero Protonotariis Apostolicis ut de hac Canonizatione publicum conficerent instrumentum mandavimus.

Gratias deinde Deo optimo maximo ex corde egimus hymnum *Te Deum laudamus* cum confertissima multitudine canentes ac primum novensilium Sanctarum patrocinium invocavimus earumque brevi homilia teximus elogium, omnes hortantes ut de tanta solemnitate gauderent in Domino, fructusque quam uberrimos caperent.

Apostolicam denique benedictionem et plenam admissorum indulgentiam impertivimus, atque pontificale sacrum ad aram maximam celebravimus; atque ita Canonizationis ritum explevimus, laetantes quod Deus omnipotens duo nova sidera in triumphantis Ecclesiae firmamento per humilitatem Nostram revelare dignatus fuerit.

Habent ergo Sorores a Caritate quod de primae antistitae et alterius quasi auctoris triumpho gaudeant, et, quae tam praeclara rerum suarum sortitae sunt initia, a Sanctae Vincentiae Gerosa et Bartholomaeae Capitanio institutis numquam desciscant. Habet populus christianus quoque, cuius sequatur exemplum, sibique persuadeat non in noxiis huius saeculi voluptatibus, sed in una virtute, praesertim in animi moderatione, casuum adversorum tolerantia ac benefica voluntate, beate vivere esse positum.

Omnibus itaque quae inspicienda erant perpensis, certa scientia ac Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula quae supra diximus iterum confirmamus, roboramus, statuimus, decernimus atque universae Christi Ecclesiae denuntiamus.

Mandamus insuper ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis eiusque sigillo munitis eadem prorsus tribuatur fides, quae iisdem hisce haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Nemini autem has Litteras definitionis, decreti, ascriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datam Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die decimo octavo Maii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego EUGENIUS Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae Cardinalis TISSERANT, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

✠ Ego FRIDERICUS Episcopus Tusculanus Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego ALEXANDER titulo S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego DOMINICUS titulo S. Apollinaris Presbyter Cardinalis IORIO.

Ego MAXIMUS titulo S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.
Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.
Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

CLEMENS Card. MICARA
S. Rituum Congr. Pro-Praefectus

Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleucien. in I., *Dec. Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Ap. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die vicesimo sexto Iulii, anno tertio decimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 9½. - Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE BRAZZAVILLE
(ARCIS ROUSSET)

VICARIATUS APOSTOLICI DE BRAZZAVILLE TERRITORIUM BIPARTITUR ET NOVUS ERIGITUR VICARIATUS APOSTOLICUS, ARCIS ROUSSET NUNCUPANDUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo in Africa Aequatoriali catholicae fidei prolatandae facilius ac fructuosius prospici posset, supplices exhibitae sunt preces Sacrae Congregationi Christiano Nomini Propagando, ut Vicariatus Apostolici de Brazzaville territorium bipartiretur et novus exinde Vicariatus Apostolicus erigeretur. Venerabiles itaque Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Congregationi eidem praepositi, omnibus diligenter perpensis, in plenariis comitiis die duodevicesimo huius mensis habitis oblatas preces excipiendas duxerunt, et, facultate utentes, a Nobis sibi peculiariter

concessis et per totum hunc iubilarem annum valituris, censuerunt a Vicariatus Apostolici de Brazzaville territorio regiones septentrionales vulgo *de Alima, de Sanga-Likouala* et *de Likouala* distrahendas esse earumque territorium in novum Vicariatum Apostolicum qui ab Arce Rousset nuncupabitur, erigendum, et curis dilectorum Filiorum Sodalium Congregationis a Sancto Spiritu, ad Sanctae Sedis tamen beneplacitum committendum, qui in regione illa tam fructuose iamdiu allaborant. Nos vero hanc Sacrae Congregationis Fidei Propagandae sententiam excipientes ac ratam habentes, harum Litterarum vi ac tenore, eam suprema apostolica Nostra auctoritate confirmamus et roboramus, et novum illum Vicariatum Apostolicum Arcis Rousset, uti supra erectum et constitutum declaramus. Huic igitur Vicariatui Apostolico eiusque pro tempore Vicario Apostolico omnia attribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi gaudent, eosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae iisdem hisce haberetur ostensis. Nemini vero liceat hanc paginam seiunctionis, erectionis, commissionis, confirmationis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima prima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop. Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 21. – Al. Trussardi.

II

DE CHOWCHIH
(CEUCEVENSIS)

PRAEFFECTURA APOSTOLICA DE CHOWCHIH IN DIOECESIM ERIGITUR, CEUCEVENSEM NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Arduum a Nobis iam ab anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto inceptum opus ecclesiasticam in Sinis constituendi hierarchiam, modo Nos urget ut alia in dissita regione illa erigatur dioecesis sollertibus cleri saecularis indigenae curis concredenda. Cum itaque Nobis relatum sit in Praefectura Apostolica de Chowchih, a fel. rec. Pio Undecimo, Decessore Nostro, Apostolicis Litteris die decima septima mensis Iunii, anno millesimo nongentesimo trigesimo secundo datis, erecta et sacerdotibus saecularibus e clero Sinensi commissa, catholicam religionem non pauca suscepisse incrementa et missionalia opera multiplicata, enixis precibus annuendum censuimus venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titulo Darensis et in Sinis Internuntii Apostolici, quibus Praefecturae illius in dioecesim proponebatur et commendabatur elatio. De venerabilium igitur Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacro Consilio a Fide Propaganda praepositorum consulto, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Apostolicam quam memoravimus Praefecturam de Chowchih in dioecesim evehimus, Ceucevensem ab ipsa urbe principe appellandam, iisdemque quibus nunc terminatam finibus, et eam clero saeculari Sinensi, in meritae laudis testimonium ob fructuosos inibi exantlatos ab eo labores novosque et maiores in dies exantlandos, commissam volumus. Novam hanc dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Singanensi, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Singanensis. Episcopi autem sedem in ipsa urbe Ceucevensi figimus eiusque cathedram in ecclesia inibi exstante, quae hucusque ecclesiae Praefecturae principis munere functa est. Huic idcirco Ecclesiae in cathedralem constitutae et pro tempore Episcopis Ceucevensibus omnia attribuimus iura, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per or-

bem cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur, illosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur.

Indulgemus insuper ut, attentis locorum et temporis adiunctis, pro Canonicis, in Episcopi senatum eligendis, Consultores dioecesani ad iuris tramitem interim eligantur et adhibeantur.

Ad dioecesis vero stabilitatem tuto firmiterque procurandam mandamus ut dioecesanum seminarium pro iuvenum institutione in spem Ecclesiae succrescentium continuo habeatur iuxta sacros canones et S. Congregationis Fidei Propagandae traditas normas. Statuimus insuper ut episcopalis mensa novae dioecesis bonis constituatur Praefecturae Apostolicae in dioecesim nunc evectae atque Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum utilitatem dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent. Quod vero attinet ad dioecesis istius regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Sinis Internuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Internuntiaturae praesit, deligimus et illi necessarias et opportunas attribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum eidemque onus iniungimus ad S. Congregationem Fidei Propagandae authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum quam primum transmittendi.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum porro Litterarum exemplis, seu excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis.

Nemini vero hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario atten-

tare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
IOSEPHUS Card. PIZZARDO

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop. Fide Praefectus

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 17. - Al. Trussardi.

III

SEATTLENSIS

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIS NOVA ERIGITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA SEATTLENSIS, CUIUS METROPOLITANA ECCLESIA ERIT CATHEDRALIS NUNC EXSTANS ECCLESIA SEATTLENSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dominici gregis universi regimen, Romano Pontifici divinitus commissum, postulat ut dioecesium ordo ita constituatur vel immutetur ut rei catholicae incremento, animorum bono et summi Dei gloriae magis magisque prodesse valeat. Quo moti consilio, enixas Apostolicae Sedi admotas preces a venerabili Fratre Hamleto Ioanne Cicognani, Archiepiscopo titulo Laodicensi in Phrygia, in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegato Apostolico, libenter excipiendas duximus, quibus, concordi habita sententia venerabilium Fratrum Eduardi D. Howard, Archidioecesis Portlandensis in Oregonia Antistitis, et Thomae Arthuri Connolly, Episcopi Seattlensis dioecesis, postulabatur ut nova illic ecclesiastica Provincia erigeretur, Seattlensis nomine. De consilio itaque venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum, ac suppleto, quatenus opus sit, aliorum, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant

consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, novam erigimus et constituimus Provinciam ecclesiasticam, cui nomen erit Seattlensis. Cathedralem igitur Ecclesiam Seattlensem eiusque Praesulem a metropolitico iure abstrahimus archiepiscopalis Ecclesiae Portlandensis in Oregonia, et illam ad metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem extollimus ipsique eiusque pro tempore Archiepiscopis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et praerogativas, quibus ceterae metropolitanae Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur. Novae huic metropolitanae Ecclesiae Seattlensi suffraganeae erunt cathedrales Ecclesiae *Spokanensis*, quam a metropolitico iure Archiepiscopi Portlandensis in Oregonia subtrahimus, atque Ecclesiae *Yakimensis* et *Iunellensis*, aliis Apostolicis sub plumbo Litteris hac ipsa die in cathedrales erectae; quibus, de consulto quoque S. Congregationis Fidei Propagandae, Vicariatum Apostolicum *Alaskensem* adicimus: quas idcirco cathedrales Ecclesias et Vicariatum Apostolicum earumque pro tempore Praesules metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Seattlensis. Huic insuper Metropolitae peculiarem concedimus facultatem intra suae provinciae fines Crucem ante se ferendi et sacro Pallio utendi iuxta liturgicas leges, postquam tamen illud, in sacro Consistorio rite postulatum, ab Apostolica Sede ipse obtinuerit.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegatum Apostolicum vel eum qui in exsecutionis actu eidem Delegationi praesit, deligimus eique necessarias et opportunas attribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et ipsi onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum quamprimum transmittendi.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum porro Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam seiunctionis,

evectionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, commissionis et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima tertia mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 22. – Al. Trussardi.

IV

SEATTLENSIS - SPOKANENSIS (YAKIMENSIS)

E DIOECESIUM SEATTLENSIS ET SPOKANENSIS TERRITORIO PARTES SEIUNGUNTUR ET NOVA EXINDE ERIGITUR DIOECESIS, YAKIMENSIS NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divina Providentia supremum apostolatus officium, licet immerito, gerentes, omni studio curare debemus ut ecclesiasticae circumscriptiones in catholico orbe ita ordinentur, ut christianae plebis necessitatibus pro temporum locorumque adiunctis aptius respondeant.

Quod quidem perpendentes, dioeceses, in nimium patentes territorium et fidelium frequentia praestantes, dispertire curamus, ut, aucto vigilantium Pastorum numero, salubrius faciliusque gubernari possint. Enixas itaque Nobis admotas preces a venerabili Fratre Hamleto Cicognani, Archiepiscopo titulo Laodicensi in Phrygia, Delegato Apostolico in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, benigne excipere statuimus, quibus, consentientibus quoque venerabilibus Fratribus Eduardo D. Howard, Archiepiscopo Portlandensi in Oregonia, Thoma

Arthuro Connolly, Antistite Seattlensi, et Carolo Daniele White, Episcopo Spokanensi, ab Apostolica Sede postulavit ut ab amplissimo dioecesium Seattlensis et Spokanensis territorio partes seiungi et nova exinde possit dioecesis constitui.

Suppleto igitur, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant consensu, de consulto venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a territorio Ecclesiae Seattlensis, hac ipsa die Apostolicis sub plumbo Litteris *Dominici gregis* a Nobis in metropolitanam evectae, quatuor civiles comitatus, idest *Chelan, Kittitas, Yakima* et *Klickitat;* a dioecesis vero Spokanensis territorio tres civiles comitatus *Douglas, Grant* et *Benton* seiungimus, et novam exinde dioecesim, ab urbe *Yakima,* in qua episcopalem sedem figimus, Yakimensem nuncupandam, erigimus et constituimus. Templum vero Deo in honorem S. Pauli Apostoli, in *Yakima* urbe exstans, ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem evehimus, eique et pro tempore Episcopis Yakimensibus omnia attribuimus iura, insignia, honores, privilegia et gratias, quibus ceterae per orbem episcopales Ecclesiae earumque Praesules iure communi gaudent, eosque pariter oneribus et obligationibus astringimus, quibus ceteri astringuntur. Novam hanc cathedralem Ecclesiam Yakimensem metropolitanae quam memoravimus Ecclesiae Seattlensi suffraganeam constituimus eiusque pro tempore Episcopos metropolitico iuri subicimus Archiepiscopi Seattlensis. Praeterea usque dum Capitulum cathedrale constitui nequeat, indulgemus ut pro Canonicis dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut quam primum fieri poterit Seminarium dioecesanum, modo saltem parvum, iuxta sacros canones et traditas normas S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus erigatur, ut iuvenes in sortem Domini vocati in spem Ecclesiae rite instituantur. Quod vero attinet ad dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Statuimus porro ut episcopalis mensa novae huius dioecesis constituatur Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent. Volumus denique ut documenta et acta omnia, quae novam dioecesim respiciunt,

a Cancellariis archidioecesis Seattlensis et dioecesis Spokanensis ad Cancellariam novae dioecesis Yakimensis, cum primum fas erit, tradantur, ut in huius archivo rite serventur.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda, venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegatum Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Delegationi ipsi praesit, deligimus, et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum porro Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima tertia Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 15. - Al. Trussardi.

V

DE ALASKA
(IUNELLENSIS)

E LATISSIMO TERRITORIO VICARIATUS APOSTOLICI DE ALASKA, PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM, IUNELLENSEM APPELLANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Evangelii Praeconum ope, Dei opitulante gratia, in Vicariatu Apostolico Alaskensi, iam labente anno millesimo nongentesimo sexto decimo a fel. rec. Benedicto Decimoquinto, Decessore Nostro, erecto, catholicam rem tantum profecisse accepimus, praesertim in parte, quae Oceani Pacifici ora attingit, ut perutile animorum saluti sit ecclesiasticam inibi hierarchiam constituere, et dioecesim ex avulsa amplissimi Vicariatus illius territorii parte erigere. Libentissime itaque annuere censuimus precibus venerabilis Fratris Hamleti Ioannis Cicognani, Archiepiscopi titulo Laodicensis in Phrygia et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegati Apostolici, quibus, accedente quoque venerabilis Fratris Francisci Gleeson, Episcopi titulo Cotennensis et Vicarii Apostolici Alaskensis favorabili sententia, ab Apostolica Sede postulavit ut territorii pars, quam antea memoravimus, illius Vicariatus Apostolici de Alaska disiungeretur et nova exinde dioecesis erigeretur.

De consulto igitur venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium tum S. Congregationi Fidei Propagandae, tum Consistorialibus Negotiis praepositorum, re mature perpensa, ac suppleto, quatenus opus sit aliorum quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a Vicariatus Apostolici Alaskensis territorio partem separamus, quae ut infra describitur, et novam inde erigimus dioecesim, quae ab Iunello, vulgo *Juneau*, urbe Iunellensis vocabitur. Fines autem huius dioecesis linea terminabunt, quae, initium sumens ab Oceano Pacifico, ubi gradus 56° latitudinis borealis et arcus meridianus 156° longitudinis occidentalis a *Greenwich* decussantur, ad septentrionem versus progrediens, fretus persequitur vulgo *Shelikof Strait* et *Cook Inlet*, flumen vulgo *Susitna* usque ad quinque millia passuum ultra pagum *Talkeetna;* unde, ad orientem ver-

tens, progreditur, transiens ad occasum pagorum *Chickaloon* et *Ptarmigam,* pertingit summos montes vulgo *Miller* et *St. Elias,* et per fretus vulgo *Dixon Entrance,* ad Oceanum Pacificum pervenit. Episcopalem novae dioecesis sedem Iunelli, vulgo *Juneau,* constituimus, quam proinde urbem ad civitatis episcopalis dignitatem evehimus cum omnibus iuribus et privilegiis ad civitates episcopales spectantibus; Episcopi vero cathedram in sacra aede Deo in honorem Nativitatis B. Mariae Virginis dicata, ibidem exstante, figimus et eam ad Cathedralis gradum extollimus eidemque et Episcopis pro tempore Iunellensibus omnia attribuimus iura, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur illosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri astringuntur. Novam hanc dioecesim Iunellensem suffraganeam facimus metropolitanae Ecclesiae Seattlensi et ipsius Episcopos metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Seattlensis.

Indulgemus insuper ut usque dum Capitulum Cathedrale nequeat constitui, pro hoc Episcopi senatu dioecesani Consultores ad iuris tramitem interim eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut quam primum fieri poterit dioecesanum Seminarium, modo saltem parvum, iuxta sacros canones et normas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas, erigatur, ut iuvenes in sortem Domini vocati, rite in spem Ecclesiae instituantur. Quod vero ad dioecesis istius regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, clerici eo ipso Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Statuimus insuper ut episcopalis mensa novae dioecesis constituatur Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent. Volumus denique ut documenta et acta omnia quae novam dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, a Cancellaria Vicariatus Apostolici Alaskensis ad dioecesis Iunellensis Curiam, cum primum fas erit, tradantur, in huius archivo religiose servanda.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegatum Apostolicum vel eum, qui in exsecutionis actu Delegationi illi praesit, deligimus, et illi necessarias et opportunas tri-

buimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae executionis actorum exemplum quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum porro Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, commissionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima tertia mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
IOSEPHUS Card. PIZZARDO

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 23. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

NOVA STATUTA ORDINIS EQUESTRIS S. SEPULCHRI HIEROSOLYMITANI APPROBANTUR IDEMQUE IN PERSONAM « IURIDICAM » ERIGITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quam Romani Pontifices Decessores Nostri, recentiores praesertim, idest Pius Pp. IX, Leo Pp. XIII, Pius Pp. X, Benedictus Pp. XV, Pius Pp. XI, erga Ordinem Equestrem Sancti Sepulchri Hierosolymitani, de Religione et Ecclesia, ab antiquis inde temporibus, optime meritum, saepius singularique modo propensam voluntatem demonstrarunt, eam, quasi hereditate acceptam, Nos custodiendam augendamque curavimus. Et revera per similes Apostolicas Nostras Litteras, die XVI m. Iulii a. MCMXL Piscatoris anulo obsignatas, e Purpuratis Ecclesiae Patribus memorato Equestri Ordini Patronum assignavimus apud Nos et hanc Apostolicam Sedem, hac una in re eiusdem Ordinis derogantes Statutis, per Decretum Sacri Consilii Caeremoniis praepositi, die XIX m. Martii anno MCMXXXII approbatis: quae vero ut in reliquis firma atque ad amussim vigerent praecepimus. Novum deinde Pontificiae benevolentiae Ordini S. Sepulchri tribuimus signum Nostro Motu Proprio diei XV m. Augusti a. MCMXLV, cuius vi memorato Ordini concessimus ut Sacra Aede S. Onuphrii in Ianiculo monte eidemque coniuncto coenobio, olim Eremitarum S. Hieronymi, uti posset, sicque opportunam atque decoram haberet sedem ad religionis, pietatis caritatisque opera utiliter exercenda. Ad quod beneficium et gratiam ea Nos impulsi fuimus causa, sicuti in praedicto Motu Proprio legitur, quia nempe in Templo in honorem Sancti Onuphrii Anachoretae dicato reliquiae asservantur et memoria viget Torquati Tasso, poëtae illius qui militum Cruce signatorum gesta suavi cecinit carmine, pro Hierosolymitano Sepulchro in libertatem vindicando propugnantium, quorum vestigia, pro diversitate temporum rerumque commutatione, fore Nos confidimus ut hodierni Cruce signati sequantur, Nobisque et Ecclesiae universae ea omnia praestent officia et auxilia, sive

spiritualia sive temporalia, quae ad Sacra Palaestinae Loca tuenda et ab infidelium et haereticorum potestate et incursionibus vindicanda magis in dies necessaria et opportuna videantur. Neminem enim latet sollicitudo Nostra, publicis sollemnibusque etiam nuper probata Pontificiis documentis, ut Christiani populi, quod ad custodiam et incolumitatem Terrae Sanctae, sarta sint tectaque iura.

Quo autem Nostra erga Ordinem Equestrem S. Sepulchri Hierosolymitani paterna ac peculiaris benevolentia iterum magisque eluceat, et Ordo ipse aptius sua incepta compleat et plenius Nostrae exspectationi respondeat, novas Leges novaque Statuta, quae mature perpensa et in iure prudentium virorum sententiis probata, ipse Ordo pro se rogavit, sancire ultro libenterque statuimus. Quare Motu Proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, nova Statuta Ordinis Equestris S. Sepulchri Hierosolymitani, iuxta exemplar quod, italico sermone exaràtum, in Tabulario Nostrae Secretariae Status a Brevibus Apostolicis iussimus asservari, cuius initium : « Articolo I L'Ordine Equestre del S. Sepolcro » est, ac postrema verba : « dipende direttamente dal Cardinale Gran Maestro » approbamus eaque Nostra auctoritate, et similiter, tenore praesentium, confirmamus iisdemque apostolicae sanctionis robur adicimus.

Hisce simul Nostris Litteris et auctoritate abrogamus et abrogata esse declaramus Statuta, iam per Decretum Sacrae Congregationis Caeremonialis, quod memoravimus, approbata.

Ordinem praeterea S. Sepulchri Hierosolymitani in personam « iuridicam », ut dicitur, erigimus et constituimus, omnibus adiectis privilegiis, facultatibus, honoribus quae fere, ad normam Iuris vigentis, cuique personae iuridicae competunt seu competere possunt.

Denique, cum Nobis plane constet ipsum Ordinem idoneum esse qui de suo sanctum ac laudabile consequi possit propositum, ad quod frugiferum Opus pro Fide Catholica in Palaestina praeservanda intendebat, anno MCMXX institutum et a Decessore Nostro Pio PP. XI, ad immortalitatis memoriam consecrato, per similes Apostolicas Litteras die VI m. Ianuarii a. MCMXXVIII datas, Ordini S. Sepulchri coniunctum et Patriarchae Latini Hierosolymitani pro tempore, tamquam perpetui Rectoris et Administratoris eiusdem Ordinis, iurisdictioni subiectum, harum Litterarum tenore abolemus, abolitumque et abrogatum esse declaramus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et effi-

caces exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque fieri atque inane si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum, ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XIV m. Septembris, in festo Exaltationis Sanctae Crucis, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

ECCLESIA DEO IN HONOREM B. MARIAE V. DICATA, IN OPPIDO « LA GUERCHE DE BRETAGNE » IN GALLIA POSITA, INTRA RHEDONENSIS ARCHIDIOECESIS FINES, TITULO BASILICAE MINORIS ORNATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Tanta in populo christiano fuit semper, inde a prioribus Ecclesiae saeculis, erga Deiparam Virginem pietas, ut haud raro quaedam urbs etiam nunc inveniatur, quae, in amplissima « Civitate Dei », id est in Ecclesia Catholica hic in terris militante, parva, sed prout munitissima arx, constituatur et appelletur « Civitas Mariae ». Nec aliter evenisse videtur, prout Nobis allatum est, in Britannia Minori seu Armonica et intra Rhedonensis Archidioeceseos fines, parvae illi civitati, cuius nomen, « La Guerche-de-Bretagne » celtica lingua expressum, idem dicit ac « Civitas Virginis ». Exstat enim ibi paroecialis et collegialis Ecclesia, Beatae Mariae Virgini dicata, vetustate et pulchritudine illustris fideliumque frequens concursu. Saeculo X vel XI exstructa, inde ab anno MCCVII Collegium excepit Canonicorum, qui admirabilem illum morem, per plura saecula continuatum, invexerunt, quo chori frequentes Dei, Caeli Reginae et Sanctorum laudes al-

ternis vicibus concinerent. Antiquissimae illius Ecclesiae sola manet ingens sacra turris, quae iuxta chorum, a Guilelmo Secundo, eiusdem oppidi domino, sequenti saeculo exaedificatum, omnibus admirantibus extollitur. In hodierna Ecclesia, stylo quem vocant « classico » confecta et anno MDCCCXCII sollemniter consecrata, pie asservatur impensaque colitur religione Beatae Mariae Virginis statua, saeculo XVI sculpta, quae a desideratissimo S. R. E. Presbytero Cardinali Emmanuele Caelestino Suhard, tunc Rhemensi postea Parisiensi Archiepiscopo, anno MCMXXXVII sollemni est pompa redimita. Ad Mariale illud Simulacrum, « Mariae Virginis de la Guerche » celtica lingua nuncupatum, fideles, peregrinantium more, innumeri accurrunt sacrisque ritibus, a presbyteris Ecclesiae addictis splendide naviterque peractis, summa religione intersunt. Eadem denique Ecclesia, praeter copiosam ditissimamque sacram supellectilem, magnum possidet thesaurum, insignes scilicet Reliquias Sanctorum Apostolorum Philippi et Iacobi, Sancti Sebastiani Martyris, Sancti Thomae Aquinatis et Sancti Francisci Salesii Episcopi. Quibus omnibus mature perpensis, dilectus Filius Noster Clemens Aemilius Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis Roques, Archiepiscopus Rhedonensis, Ecclesiae memorati oppidi Cleri et Christifidelium enixa implens vota, precibus Nos adiit ut Ecclesiam ipsam quam laudavimus, titulo et privilegiis Basilicae Minoris benigne cumulare dignaremur. Nos autem, ipsius Ecclesiae antiquitatem et pulchritudinem considerantes atque peculiari propensae voluntatis Nostrae praemio memorati oppidi fideles ob eorum pietatem afficere volentes, huiusmodi vota excipienda censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, paroecialem Ecclesiam, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicatam atque in oppido « La Guerche de Bretagne » vulgo nuncupato in Gallia positam, intra Rhedonensis Archidioecesis fines, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis et iuribus quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus

super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Martii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

III

TEMPLUM IN HONOREM B. MARIAE V. IN CAELUM ASSUMPTAE DEO CONSECRATUM, IN OPPIDO « LUGO » IMOLENSIS DIOECESIS HONORIBUS BASILICAE MINORIS INSIGNITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Templi, honori Beatae Mariae Virginis Caelo receptae sacri et in oppido « Lugo », intra fines Imolensis dioecesis, constituti, magna est, ut accepimus, religio atque antiquitas apud incolas Flaminiae regionis. Namque erga asservatum ibi signum Almae Deiparae, quae vernaculo sermone « Madonna del Molino » appellatur, abhinc quinque saecula nullam non adhibet reverentiam gens illa fortis et industria. Neque umquam visa est inclita Dei hominumque Parens cultorum deesse temporibus, cum, ab illis exorata, saeva restingueret incendia, tristem depelleret famem, letiferam pestilentiam propulsaret, terrae motum ac fremitum sisteret, flumina super ripas effusa revocaret in alveos eamque plagam bellorum exitio prohiberet. Quam quidem aedem etiam plures Summi Pontifices, Purpurati Patres et Sacrorum Antistites adierunt, Caelestis Virginis studio inflammati. Quin Pius Pp. IX, Decessor Noster, olim loci illius Episcopus, imaginem, tot laudibus ornatam, anno MDCCCLVI, aureo diademate iussit redimiri. Quoniam autem templum vetustate erat ruinosum, novam aedem, Matris Mariae perciti amore, oppidani excitandam curaverunt, in quam, anno MCMXLIII, praeclarum signum est translatum; admireris aedificii molem et amplitudinem, marmorum varietatem, tabularum speciem illustrem. Cum igitur haec domus Dei, eodem anno, ab Imolensi Episcopo, inter Christifidelium exsultantium vota, consecraretur, Nosmet Ipsi auspicatae diei laetitiam voluimus augere illorumque excitare pietatem pe-

culiari a Nobis probata supplicatione ad « candidatam Dominam » admovenda. Praeterea in templi officiis viri ecclesiastici impigri alacresque versantur nihilque videtur desiderari quod ad sacrorum rituum ornamentum atque dignitatem. Quibus permotus ac sollemnis praecipue memor pronuntiationis qua certissimam veritatem non ita pridem statuimus Beatam Mariam Virginem corpore et anima in Caelum esse assumptam, Venerabilis Frater Paulinus Ioannes Tribbioli, Episcopus Imolensis, Nos rogavit ut aedem, quam diximus, Basilicae Minoris titulo honestare dignaremur. Nos vero, summopere annitentes ut cultus Virginis Deiparae in populi animis magis magisque inhaeresceret, preces huiusmodi, quas Venerabilis Frater Noster Benedictus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Aloisi Masella, Episcopus Praenestinus, Dilecti Filii Nostri Presbyteri Cardinales Ioannes Baptista Nasalli Rocca di Corneliano, Archiepiscopus Bononiensis, atque Fridericus Tedeschini nec non alii Reverendissimi Viri, sua commendatione confirmaverant, libenter decrevimus audire. Collatis ergo consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Caelum assumptae consecratam atque in oppido « Lugo » intra fines Imolensis dioeceseos exstantem, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Aprilis, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. CLEMENTEM EPISCOPUM VELITERNUM S. R. E. CARDINALEM MICARA, SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS PRO-PRAEFECTUM EUNDEMQUE SUMMI PONTIFICIS VICARIUM GENERALEM, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONVENTUM DECIMUM EUCHARISTICUM E TOTA GALLIA IN URBE NEMAUSENSI HABENDUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Perantiqua in urbe meridianae Galliae Nemausensi, praeclarissimis Romanae artis monumentis insigni, quintus decimus ex tota natione Congressus Eucharisticus, ut libenter sane didicimus, proximo mense Septembri concelebrabitur. Ex hisce enim sollemnibus coetibus ritibusque, qui in honorem augustissimi Sacramenti studiose flagranterque apparantur, non modo christiani populi religio magnopere excitabitur atque augebitur, verum etiam consortio ipsa civilis, inter tot tantasque gentium ac factionum simultates contentionesque, tam gravibus praesentium rerum futurarumque anxietatibus exagitata, ad suavissimum amplectendum Regis Pacifici imperium, ad privatos mores publicosque emendandos, ad concordiam mentium animorumque persequendam vehementer allicietur. Maximi autem momenti ac ponderis est argumentum in proximum Conventum propositum, quod quidem spectat potissimum ad artem fingendi teneros puerorum atque adulescentium animos Eucharistiae ope ac virtute. Quid enimvero ad parvulos alumnos christiana ratione instituendos aptius ac validius, quam ut praeceptores eos adducant ad perfectionis Magistrum, qui sub velis Eucharisticis delitescit, immolatur et sumitur? Si nempe fragiles pueruli, si iuvenes aetate florentes ad Sancta Sanctorum, ad altare Dei, ad Deum ipsum accedere crebro ac serio consuescant, divino suffulti robore, pares omnino adversus insurgentes cupiditates, pares quoque arduis exercendis virtutibus efficientur. Nihil profecto caelesti hoc convivio pretiosius salutariusque esse potest. Quum itaque plurimum Nobis sit cordi sanctissimae Eucharistiae cultum rectamque adulescentium educationem omni contentione summoque studio fovere, celebrationis Nemausensis splendorem ac magnificentiam per Legatum Nostrum adaugere exoptamus. Te igitur, Venerabilis Frater Noster, quem, Romana purpura exornatum, ad eximiam Nostri in Urbe Vicarii Generalis dignitatem recens proveximus, Legatum Nostrum a

Latere, ut iam anteo nuntiavimus, hisce Litteris deligimus et constituimus, ut Nostram gerens personam sacris ritibus, qui Nemausi mense Septembri peragentur, praesideas. Carissimis autem ex Gallia filiis in eam urbem conventuris dicito Nostris verbis, nihil ipsos gratius Nobis facere posse, quam ut Christum Iesum, qui Eucharistiam instituendo « in finem dilexit eos », sic vicissim redament et a civibus suis redamandum curent diligenter, ut huius ardor caritatis, in omne opus bonum sese effundens, ad Ecclesiae incrementum patriaeque prosperitatem felicissime redundet. Caelestium interea donorum in auspicium inque peculiaris amoris Nostri pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater Noster, sollerti Episcopo Nemausensi, ceterisque Praesulibus cunctisque fidelibus, qui Eucharisticis sollemnibus intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Maii, in festo Sanctissimi Corporis Christi, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

II

AD EM̃UM P. D. DOMINICUM TIT. S. APOLLINARIS S. R. E. PRESB. CARDINALEM JORIO, S. CONGREGATIONIS DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM PRAEFECTUM, LX ANNOS AB INITO SACERDOTIO PIE CELEBRANTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Mox sexagies redibit tibi natalis sacerdotii tui isque causa erit, cur commotiore animi affectu semper faustum recolas et celebres diem, quo, iuvenilibus florens annis, primum litasti. Cum inde emensam vitae tuae semitam retro versis oculis respexeris, tot divinae largitatis munera in te cernens profusa, omnium bonorum Auctori et Datori iustissimas ages grates atque adauctos erga Eum caritatis pietatisque insitos menti tuae ignes persenties. Nos autem qui te magna afficimus aestimatione, cum in Romana Curia, praesertim doctam operam impendens Sacro Consilio Sacramentorum disciplinae praeposito, haud pauca promerita messueris, festam illius diei memoriam votis et salutaribus adprecationibus Nostri iucundare percupimus. Opifera tibi adsit caelestis gratia novumque impertiat robur, ut lucentioribus usque virtutibus eniteas

atque piis solaciis abundes. Paterna ut deprompta confirmemus vota, Apostolicam Benedictionem libenter tibi impertimus, quae praecipuae in te Nostrae voluntatis nova nuntia sit et testis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die X mensis Septembris anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes *

Un pèlerinage de pères de famille! Quelle joie pour Notre cœur! Tant et tant de fois Nous avons, à propos des questions les plus diverses, insisté sur la sainteté de la famille, sur ses droits, sur son rôle en tant que cellule fondamentale de la société humaine. A ce titre c'est sa vie, sa santé, sa vigueur, son activité, qui, dans l'ordre, assurent la vie, la santé, la vigueur, l'activité de la société tout entière. Parce qu'elle tient de Dieu, son existence et sa dignité, sa fonction sociale, la famille en est responsable devant Dieu. Ses droits et ses privilèges sont inaliénables, intangibles; elle a le devoir, avant tout devant Dieu, et secondairement devant la société, de défendre, de revendiquer, de promouvoir effectivement ces droits et ces privilèges, non seulement pour son propre avantage, mais pour la gloire de Dieu, pour le bien de la collectivité.

Que de fois on a chanté les louanges de la mère, saluant en elle le cœur, le soleil de la famille! Mais, si la mère en est le cœur, le père en est la tête et, par conséquent, c'est de la valeur, de la vertu, de l'activité du père, que dépendent premièrement la santé et l'efficience de la famille.

Vous avez compris, chers fils, et c'est ce qui vous rassemble ici, la nécessité pour le père de famille de connaître intelligemment, socialement, chrétiennement, son rôle et ses devoirs, et vous êtes venus, dans cette intention, demander les conseils et la bénédiction du Père commun, chef de la grande famille humaine.

Il est clair que votre premier devoir, au sanctuaire du foyer familial,

* Habita die 18 Septembris mensis a. 1951.

est de pourvoir — dans le respect et toute la perfection humainement possible de son intégrité, de son unité, de la hiérarchie naturelle qui unit entre eux ses membres — à la conservation, à la santé corporelle, intellectuelle, morale et religieuse de la famille. Et ce devoir comporte évidemment celui de défendre et de promouvoir ses droits sacrés, celui en particulier de remplir ses obligations envers Dieu, de constituer, dans toute la force du terme, une société chrétienne :

Défendre ses droits contre toutes les violences ou influences extérieures capables de porter atteinte à la pureté, à la foi, à la stabilité sacrosainte de la famille ;

Promouvoir ces mêmes droits, en réclamant de la société civile, politique, culturelle, tout au moins les moyens indispensables à leur libre exercice.

Pour le chrétien il y a une règle, qui lui permet de déterminer avec certitude la mesure des droits et des devoirs de la famille dans la communauté de l'Etat. Elle est ainsi conçue : la famille n'est pas pour la société ; c'est la société qui est pour la famille. La famille est la cellule fondamentale, l'élément constitutif de la communauté de l'Etat, car, pour employer les expressions mêmes de Notre Prédécesseur Pie XI d'heureuse mémoire, « la cité est ce que la font les familles et les hommes, dont elle est formée, comme le corps est formée des membres ».[1] L'Etat devrait donc, en vertu même, pour ainsi dire, de l'instinct de conservation, remplir ce qui, essentiellement et selon le plan de Dieu Créateur et Sauveur, est son premier devoir, c'est-à-dire : garantir absolument les valeurs, qui assurent à la famille l'ordre, la dignité humaine, la santé, la félicité. Ces valeurs-là, qui sont des éléments mêmes du bien commun, il n'est jamais permis de les sacrifier à ce qui pourrait être apparemment un bien commun. Indiquons-en seulement, à titre d'exemples, quelques-uns qui se trouvent, à l'heure présente, en plus grand péril : l'indissolubilité du mariage ; la protection de la vie avant la naissance ; l'habitation convenable de la famille, non pas d'un ou deux enfants ou même sans enfants, mais de la famille normale plus nombreuse ; fourniture de travail, car le chômage du père est la plus amère détresse de la famille ; le droit des parents sur les enfants vis-à-vis de l'Etat ; la pleine liberté pour les parents d'élever leurs enfants dans la vraie foi et, par conséquent, le droit des parents catholiques à l'école catholique ; des conditions de vie publique et notamment une moralité publique telle que

[1] Encycl. *Casti connubii*, 31 dec. 1930 ; *Acta Apost. Sedis*, vol. XXII, 1930, p. 554.

les familles et surtout la jeunesse ne soient pas dans la certitude morale d'en subir la corruption.

Sur ce point et sur d'autres encore, qui touchent plus au fond de la vie familiale, il n'y a, entre les familles, aucune différence ; sur d'autres questions économiques et politiques, en revanche, elles peuvent se trouver dans des conditions fort diverses, disparates et, parfois, en concurrence, sinon en opposition. C'est ici qu'il faut s'efforcer — et les catholiques tiendront à en donner l'exemple — de promouvoir l'équilibre, fût-ce au prix de sacrifices d'intérêts particuliers, en vue de la paix intérieure et d'une saine économie.

Mais, quant aux droits essentiels des familles, les vrais fidèles de l'Eglise s'engageront jusqu'au dernier pour les soutenir. Il pourra arriver que, ici ou là, sur un point ou sur un autre, on se voit dans la nécessité de céder devant la supériorité des forces politiques. Mais, dans ce cas, on ne capitule pas, on patiente. Encore faut-il, en pareil cas, que la doctrine reste sauve, que tous les moyens efficaces soient mis en œuvre pour acheminer progressivement vers la fin à laquelle on ne renonce pas.

Parmi ces moyens efficaces, fussent-ils à long terme, un des plus puissants est l'union entre les pères de famille fermes dans les mêmes convictions et dans la même volonté. Votre présence ici est un témoignage que telle est votre pensée.

Un autre moyen qui, même avant d'obtenir le résultat visé, n'est jamais stérile, qui, à défaut ou dans l'attente du succès que l'on continue de poursuivre, porte toujours ses fruits, c'est le soin, dans cette coalition des pères de famille, de travailler à éclairer l'opinion publique, à la persuader, petit à petit, de favoriser le triomphe de la vérité et de la justice. Aucun effort pour agir sur elle ne doit être dédaigné ou négligé.

Il est un terrain, sur lequel cette éducation de l'opinion publique, sa rectification, s'impose avec une urgence tragique. Elle s'est trouvée, sur ce terrain, pervertie par une propagande, que l'on n'hésiterait pas à appeler funeste, bien qu'elle émane, cette fois, de source catholique et qu'elle vise à agir sur les catholiques, et même si ceux, qui l'exercent, ne paraissent pas se douter qu'ils sont, à leur insu, illusionnés par l'esprit du mal.

Nous voulons parler ici d'écrits, livres et articles, touchant l'initiation sexuelle, qui souvent obtiennent aujourd'hui d'énormes succès de librairie et inondent le monde entier, envahissant l'enfance, submergeant la génération montante, troublant les fiancés et les jeunes époux.

Avec tout le sérieux, l'attention, la dignité que le sujet comporte, l'Eglise a traité la question d'une instruction en cette matière, telle que la conseillent ou la réclament tant le développement physique et psychique normal de l'adolescent, que les cas particuliers dans les diverses conditions individuelles. L'Eglise peut se rendre cette justice que, dans le plus profond respect pour la sainteté du mariage, elle a, en théorie et en pratique, laissé les époux libres en ce qu'autorise, sans offense du Créateur, l'impulsion d'une nature saine et honnête.

On reste atterré en face de l'intolérable effronterie d'une telle littérature : alors que, devant le secret de l'intimité conjugale, le paganisme lui-même semblait s'arrêter avec respect, il faut en voir violer le mystère et en donner la vision — sensuelle et vécue — en pâture au grand public, à la jeunesse même. Vraiment, c'est à se demander si la frontière est encore suffisamment marquée entre cette initiation, soi-disant catholique, et la presse ou l'illustration érotique et obscène, qui, de propos délibéré, vise la corruption ou exploite honteusement, par vil intérêt, les plus bas instincts de la nature déchue.

Ce n'est pas tout. Cette propagande menace encore le peuple catholique d'un double fléau, pour ne pas employer une expression plus forte. En premier lieu, elle exagère outre mesure l'importance et la portée, dans la vie, de l'élément sexuel. Accordons que ces auteurs, du point de vue purement théorique, maintiennent encore les limites de la morale catholique; il n'en est pas moins vrai que leur façon d'exposer la vie sexuelle est de nature à lui donner, dans l'esprit du lecteur moyen et dans son jugement pratique, le sens et la valeur d'une fin en soi. Elle fait perdre de vue la vraie fin primordiale du mariage, qui est la procréation et l'éducation de l'enfant, et le grave devoir des époux vis-à-vis de cette fin, que les écrits dont Nous parlons laissent par trop dans l'ombre.

En second lieu, cette littérature, pour l'appeler ainsi, ne semble tenir aucun compte de l'expérience générale, d'hier, d'aujourd'hui et de toujours, parce que fondée sur la nature, qui atteste que, dans l'éducation morale, ni l'initiation, ni l'instruction, ne présente de soi aucun avantage, qu'elle est, au contraire, gravement malsaine et préjudiciable, si elle n'est fortement liée à une constante discipline, à une vigoureuse maîtrise de soi-même, à l'usage, surtout, des forces surnaturelles de la prière et des sacrements. Tous les éducateurs catholiques dignes de leur nom et de leur mission savent bien le rôle prépondérant des énergies surnaturelles dans la sanctification de l'homme, jeune ou adulte, célibataire ou marié. De cela, dans ces écrits, à peine souffle-t-on un mot, si

encore on ne le passe tout à fait sous silence. Les principes mêmes que dans son Encyclique « Divini illius Magistri » Notre Prédécesseur Pie XI a si sagement mis en lumière, concernant l'éducation sexuelle et les questions connexes, sont — triste signe des temps ! — écartés d'un revers de main ou d'un sourire : Pie XI, dit-on, écrivait cela il y a vingt ans, pour son époque. Depuis, on a fait du chemin !

Pères de famille ici présents : il y a sur toute la face du monde, en tous pays, tant d'autres chrétiens, pères de famille comme vous, qui partagent vos sentiments ; coalisez-vous donc avec eux — bien entendu, sous la direction de vos Evêques — appelez à vous prêter leur puissant concours toutes les femmes et les mères catholiques, pour combattre ensemble, sans timidité comme sans respect humain, pour briser et arrêter ces campagnes de quelque nom, de quelque patronage qu'elles se couvrent et s'autorisent. Ce n'est pas sans raison que vous avez placé votre pèlerinage sous la protection spéciale du grand Pape eucharistique, le bienheureux Pie X. Ayez confiance dans le secours de la Vierge immaculée, Mère très pure, Mère très chaste, « auxilium christianorum » ; confiance dans la grâce du Christ, source de toute pureté, qui ne délaisse jamais ceux qui travaillent et qui combattent pour l'avènement et l'affermissement de son règne. Avec la plus vive espérance que vos efforts et vos prières hâteront le triomphe de ce règne, Nous vous donnons de tout cœur, à toutes vos familles, à tous les pères chrétiens unis à vous d'esprit, de prière et d'action, Notre Bénédiction Apostolique.

II

Ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum *

Magis quam ineuntis autumni mane vos, dilecti filii, qui visum Nos huc venistis, lumen animo Nostro affertis laetitiae. Collucetis enim vos, lectorum virorum corona, Decalceatorum Carmelitarum flos, religionis studio, pietatis decore, bene agendi industria voluntate ; collucetis etiam iubare, quod incliti Ordinis vestri peculiare et proprium est. Quis mirabundis oculis non suspiciat Sanctam Teresiam a Iesu et Sanctum Ioannem a Cruce, fulgentissima astra, atque alios viros et feminas in ascetica et mystica vita in exemplum enitentes, quibus religiosa familia vestra per aetatum decursum a legiferis parentibus usque ad Teresiam ab Infante Iesu fuit dives? Tantum doctrinae thesaurum, quem Spiritus

* Habita die 23 Septembris mensis a. 1951.

Sanctus eorum ope universae Ecclesiae comparavit, vos portantes atque hinc ductricis sapientiae splendorem haurientes, praesentem ex omnibus provinciis vestris celebratis Conventum, qui eo spectat, ut, collatis una simul propositis et consiliis, Ordinis vestri tironibus instituendis et educandis quam optime prospiciatur, cum viginti quinque fauste revoluti explentur anni, ex quo Internationale Collegium Decalceatorum Carmelitarum in Urbe conditum fuit. Maxima enim cura spesque vestrae in iisdemque versantur, ut, novis inde conceptis viribus, religiosum Institutum istud, mutati aevi necessitatibus accommodatum, donante Dei misericordia, apostolicum munus suum quam efficientissime exerceat.

Cum totum istud inceptum magni facimus, tum aliqua, quae vobis tractanda sumpsistis, maxime dilaudamus. Paedagogicae doctrinae et artis accuratior nunc est indagatio, qua ratione scilicet et via hominis animus constans sibi fiat et, virtutis et boni tenax, quicumque eius est status, perseveret. Quomodo oriatur et perstet in homine plurimi aestimanda haec firmitas, quomodo virtutes, ut aiunt, naturales, nascantur et vigescant, intento studio vultis perpendere.

Hoc Nobis videmini salutari vos egisse consilio. Nimirum, si verum est — quod quidem verissimum est — supernaturali gratia perfici, non deleri naturam, evangelicae perfectionis aedificium excitandum est in ipsis naturae virtutibus. Priusquam iuvenis religiosus sodalis praeclari exempli evadat, studeat in ordinariis et cotidianis rebus perfectus homo fieri: nequit scandere cacumina montium, nisi valeat expedito gressu in plano ambulare.

Discat igitur et moribus suis demonstret, qui sit humanae naturae et consortioni congruens decor: vultum habitumque suum decenter disponat, sit fidus et verax, servet promissa, suos actus suumque regat eloquium, vereatur omnes, aliena iura ne turbet, sit malorum patiens, comis et, quod potissimum est, legibus obtemperet Dei. Ut probe nostis, naturalium, quas vocant, virtutum complexio et instructus ad supernaturalis vitae dignitatem provehuntur, maxime cum eas ideo aliquis exercet et colit, ut bonus christianus aut ut idoneus Christi praeco et administer exstet. Idque aliud quoque suadet. Religiosa domus idem non est ac familiae convictus et tectum; talis non est neque esse contendit, siquidem intra eius saepta se devovendi et se abnegandi, ob Christi amorem, studium et severi poenitentiae mores secum afferant plus minusve iniucunda et aspera. Attamen, quantum fieri potest, certet ea, ut singulis religiosis sodalibus fiat familiae amabile limen. Quod indubie facilius contigerit, si in honore omnium fuerit naturalium virtutum

substructa compago, quae quidem saepe magnum supernaturalem vigorem et nitorem demonstrant et exigunt.

Placeat nunc vobis ex ore Nostro percipere aliqua, quae ad religiosa nuncupanda vota et ad tirones vestros rite instituendos attinent. In tractandarum rerum ordine hoc legimus propositum argumentum: « Institutio ad oboedientiam religiosam: exercitium auctoritatis ac reverentia erga personam subditi». Certe summopere oportet, supernaturalis oboedientia, in Deum caritatis ignibus alita, arcte et adsidue volentique animo ad statutarum legum normas in religiosis domibus excolatur et vigeat. Nonne religiosae disciplinae et vitae solida hic insidet fultura? Nonne magna incepta, quae religiosi sodales perfecerunt et perficient, tantum, oboedientia coalescentibus viribus, felices nacta sunt et nanciscentur exitus? Salutare igitur agnoscite et veneramini et libenter accipite, quasi pondus fortium, oboedientiae iugum! Verumtamen hoc tempore, quo machinae ubivis tenent imperium, quo technica moderatio omnia invadit, combibit, ad suam imaginem fingit, moderatores curent, ne eos qui nutui suo obtemperent, veluti merces aut machinamentorum partes tractent, sed semper in iis humanam vereantur personam.

Quid vero dicamus de castitate? Plurimum edisserendum esset de quaestionibus quae eam spectant, magni quidem ponderis graviorisque momenti. Quodsi ex iis non omnes, saltem aliquas aequum est Nos leviter et breviter attingere. Antiqui Graeci et Romani ut sermone indicarent quae ad castitatem pertinent, singulari utebantur nomine: *αἰδοῖα* — verenda » ea appellabant, siquidem de rebus agitur, quae reverenti modo rationeque tractari debent. Quocirca huiusmodi verecundia non ita accipienda est, ut hac super causa perpetuo aequiparetur silentio utque in impertienda disciplina morum ne sobrius quidem cautusque sermo de iis umquam fiat. His super rebus adulescentes consiliis idoneis instruantur eisque liceat aperire animum, sine haesitatione quaerere, responsum accipere, quod securum, perspicuum, satis explicatum ipsis lumen et fiduciam iniciat.

Neve qui virginitatem servandam sibi delegit, parvipendat spernatque coniugium. Bonum est matrimonium, melior autem virginitas; honorabilis est causa conubii; celsior, ipso Evangelio teste, est causa virginitatis, quam quis ob Christi amorem amplectitur, et caritatis fructu fecundat. Est praesertim perpetua virginitas hostia Dei munda, victima sancta, Ecclesiae autem flos honoris et gaudii, magnum receptaculum virium, quod nequit ipsa Ecclesia missum facere ac neglegere.

Cum vero de virginitate edisserendum et instituendum est, id iam initio ab omnibus certissimum habeatur castitatem universe acceptam,

coniugalem quoque, sine Dei gratiae auxilio constanter servari non posse; idque caeleste adiutorium multo magis necessarium esse, cum de castimonia agitur usque ad extremum vitae halitum retinenda; et hanc ob causam eum qui lilialem integritatem Deo devovit, precibus et paenitentiae studio, quemadmodum Iacob cum Angelo, colluctari debere, ut se supernum victorem efficiat.

Nunc de evangelica paupertate aliquid dicendum. Haec, ad vitam sive singulorum sive communitatis quod attinet, ad vestri Instituti sancitas regulas sancte nullo non tempore servetur. Multigena vero opera apostolatus, veluti animorum curatio, templorum cultus, scholarum apta constructio et temperatio, sacrae expeditiones, doctrinarum profectus, necnon debita famulis iustarum solutio mercedum, quandam liberalitatem, novis temporibus omnino congruentem ac laudabilem, exquirunt. Attamen aequiparentur operibus opes neve haec immoderate appetantur: quodsi supersint, defluant ad succurrendum fraterna certatione omne genus inopiis: non humani provisus incertum, sed in Dei misericordia auxilioque fiducia et, huius comes, effusa bonitas dabunt iis eorumque inceptis veri nominis incrementa parabuntque socialem apud homines honorem.

Quantopere id Nos delectat quod ipsi vultis tirones vestros humanioribus litteris liberalius imbuere! Haec ad surgentia ingenia conformanda aptissima sunt, ut tum in cogitando et loquendo sit lucidus ordo et vana vitetur profluentia verborum, tum ut aliae praeclarae parentur bene cordati viri laudes. Hisce in studiis querimur quiddam contingere triste. Proh dolor, Latina lingua, gloria sacerdotum, nunc languidiores usque et pauciores habet cultores. Quid digne celebret hunc imperialem sermonem — *βασιλικὴ γλῶσσα* a Graecis appellabatur — quae vera non enuntiat sed sculpit, quae in edictis et sententiis peculiari splendet gravitate, quae in Latina Ecclesia liturgico fruitur usu, quae denique Catholicae Ecclesiae est magni pretii vinculum? Nullus sit sacerdos, qui eam nesciat facile et expedite legere et loqui! Praeter haec utinam oriantur inter vos haud parvi et pauci qui etiam presso et eleganti dicendi genere eam scribere valeant!

Enimvero Latina lingua, itemque et Graeca, cui tot ecclesiastica scripta, iam a prisco christiano aevo, commissa sunt, thesaurus est incomparandae praestantiae; quare sacrorum administer qui eam ignorat, reputandus est lamentabili mentis laborare squalore.

Haud paulum denique laudamus propositum, quod tenetis ita moderandi philosophica et theologica studia vestra, ut recens a Nobis pro-

mulgatae Encyclicae Litterae « Humani generis » sint vobis veluti rectum indicantes iter signatae sagittae.

Haud sine maesti animi admiratione percepimus aliquos huiusmodi Documentum satis graviter tulisse, quasi Nos ita voluissemus indagationes, quas doctrinarum profectus poscit, coërcere et peculiares opinationes, quae in philosophicis et theologicis scholis adhuc sine fidei periculo libera fuerunt in disceptatione, prohibere. Isti falluntur aut fallunt. Mentis Nostrae consilium non fuit quae libera sunt compescere. Quod profecto pro Apostolico Nostro munere voluimus hoc est, hodiernae aetatis aliquas aberrantes et immoderatas doctrinas a catholica secernere veritate, qualis fuit et erit, commune Ecclesiae patrimonium, tectum sartumque servandum, quod quidem omnes aetates et civilis humanitatis et cultus omnes formas exsuperat.

Agitedum, dilecti filii, cum gaudio magno [1] in labores, in disceptationes, in consilia capienda incumbite: nec erit inane istud opus, ad quod absolvendum iamdudum vosmet parastis.

Id strenue molimini, Dei providentia et gratia freti. Nos autem, paternae moti caritatis affectu, vos vestraque celsae Patronae, Deiparae a Monte Carmelo, atque caelitibus, quod Institutum istud multos et magnos protulit, sursum elatis manibus, suppliciter commendamus, dum, superni auxilii pignus, Apostolicam Benedictionem vobis heic adstantibus, studiosae iuventuti, in qua tanta expectatio vestra considet, et universae religiosae familiae vestrae amantissima voluntate impertimus. Nostra auspice Benedictione, Carmeli gloria vigeat novis et relucentibus fructibus honestatis doctrinae et omnigenae virtutis, qui turbolenta hac tempestate Ecclesiae fiduciam roburque suffulciant. Quae nunc est spes, fiat res. Amen.

ADHORTATIO APOSTOLICA

IIS QUAE INTERFUERUNT CONVENTUI INTERNATIONALI MONIALIUM PUELLIS EDUCANDIS ADDICTARUM, ROMAE HABITO. *

Ci torna particolarmente gradita l'occasione, che la vostra partecipazione al « Congresso delle Religiose Educatrici » Ci offre per rivolgere una parola di cordiale e paterna lode all'attività delle religiose nel campo della scuola e della educazione in Italia e in tutto il mondo cattolico.

[1] Cfr. Luc. 24, 52.

* Habita die 13 Septembris mensis a. 1951.

Come avrebbe potuto la Chiesa, in tempi recenti e recentissimi, adempire pienamente la sua missione, senza l'opera che centinaia di migliaia di religiose compiono con tanto zelo nella educazione e nella carità? e come potrebbe adempirla ai giorni nostri? Senza dubbio molte altre preziose energie femminili lavorano, con le religiose o accanto a loro, nella scuola e nella educazione, o si dedicano all'apostolato dei laici. Noi pensiamo soprattutto all'esercito delle buone insegnanti cattoliche nelle scuole dello Stato. Ma esse stesse non si meraviglieranno, se Noi oggi, dilette figlie adunate intorno a Noi come rappresentanti degli Ordini e delle Congregazioni religiose dedite all'apostolato della scuola e della educazione, diciamo: Possano la dedizione, l'amore e i sacrifici, che voi, il più delle volte nascostamente e oscuramente, sopportate per amore di Cristo a vantaggio della gioventù, rendere per l'avvenire, come in passato, centuplicati frutti di bene! Il Signore ve ne rimuneri e riversi su di voi l'abbondanza dei suoi divini favori!

I Nostri auguri erompono tanto più fervidamente dal Nostro cuore, perchè sentiamo con voi la crisi, che le vostre scuole e i vostri Istituti di educazione attraversano. Essa è scolpita nel confronto: gioventù odierna — scuole di religiose. Senza dubbio voi avete nel vostro Congresso potuto ampiamente intrattenervi su questo argomento. Molti punti, che valgono per voi non meno che per i religiosi, e che si riferiscono alle questioni della vostra attività, sono state già da Noi esposte nel discorso dell'8 dicembre 1950. Perciò possiamo qui restringerCi all'uno o all'altro tratto del vostro problema, a Nostro avviso più bisognoso di considerazione.

1° - Se voi fate la penosa esperienza che la Suora educatrice e la giovane di oggi non s'intendono più bene, ciò non è un fenomeno particolare della vostra crisi. Alle altre insegnanti e spesso agli stessi genitori le cose non vanno molto meglio. Non è infatti soltanto una frase vuota, quando si dice che la gioventù è cambiata, è divenuta ben diversa. Forse il motivo centrale di questa diversità della gioventù di oggi è quello che forma oggetto di frequenti osservazioni e lamenti: la gioventù è irriverente verso molte cose, che prima, fin dalla fanciullezza e come naturalmente, erano riguardate col più alto rispetto. Di questo suo contegno, però, la presente gioventù non ha tutta la colpa. Essa ha negli anni della fanciullezza vissuto cose orribili e ha veduto dinanzi ai suoi occhi fallire e cadere miserevolmente molti ideali già altamente pregiati. Così essa è divenuta diffidente e ripulsiva.

Conviene, del resto, aggiungere che questo lamento d'incomprensione non è nuovo; essa si rincontra in ogni generazione, ed è reciproca: fra

l'età matura e la gioventù, fra i genitori e i figli, fra i maestri e i discepoli. Un mezzo secolo fa e anche un poco più, erano spesso una questione di molle sentimentalità; si amava di credersi e di dirsi « incompreso » o « incompresa ». Oggi il lamento, che non è esente da un certo orgoglio, verte piuttosto su posizioni intellettuali. Quella incomprensione ha per conseguenza, da un lato, una reazione, che può talvolta oltrepassare i limiti della giustizia, una tendenza a respingere ogni novità o apparenza di novità, un sospetto esagerato di ribellione contro ogni tradizione, — dall'altro, una mancanza di fiducia, che allontana da ogni autorità, e che fa cercare, al di fuori di ogni giudizio competente, soluzioni e consigli con una sorta d'infatuazione più ingenua che ragionata.

Pretendere di riformare la gioventù e di convincerla sottomettendola, di persuaderla costringendola, sarebbe inutile e non sempre giusto. Voi la indurrete assai meglio a darvi la sua fiducia, se vi studierete, dal canto vostro, di comprenderla e di farvi da essa comprendere, salvi sempre quelle verità e quei valori immutabili, che non ammettono alcun cambiamento nella mente e nel cuore umano.

Comprendere la gioventù: non significa certo approvare tutto, e tutto ammettere nelle sue idee, nei suoi gusti, nei suoi capricci fantasiosi, nei suoi entusiasmi fittizi; ma consiste innanzi tutto nel discernere ciò che essi hanno di fondato e di convenirne lealmente senza rammarico nè cruccio; quindi nel cercare l'origine delle deviazioni e degli errori, i quali non sono spesso che l'infelice tentativo di risolvere problemi reali e difficili; finalmente nel seguire con attenzione le vicissitudini e le condizioni del tempo presente.

Farsi comprendere, non è adottare gli abusi, le imprecisioni, le confusioni, i neologismi equivoci, del vocabolario o della sintassi; bensì esprimere chiaramente, ma in forma varia e sempre esatta, il proprio pensiero, cercando d'indovinare quello degli altri e tenendo conto delle loro difficoltà e della loro ignoranza o inesperienza.

D'altronde, è pur vero che anche la gioventù presente è pienamente accessibile ai veri e genuini valori. E qui appunto entra la vostra parte di responsabilità. Voi dovete trattare la gioventù con naturalezza e semplicità, così come ognuna di voi è secondo il suo carattere; ma tutte, al tempo stesso, dovete mostrare quella serietà religiosa e quel riserbo, che anche il mondo di oggi attende da voi e dietro i quali deve sentire la vostra unione con Dio. Non è necessario che, nel trovarvi in mezzo alle giovani, parliate continuamente di Dio. Ma quando lo fate, deve essere

che nasce da una profonda convinzione. E allora guadagnerete la fiducia delle vostre alunne, che si lasceranno da voi persuadere e guidare.

2° - Ed ora veniamo a ciò che è a voi particolarmente proprio: la vita religiosa, il vostro abito, la castità, le vostre Regole e Costituzioni. Vi rendono esse forse meno atte o semplicemente incapaci per la istruzione e la educazione della gioventù di oggi?

Innanzi tutto notiamo: Coloro che hanno diritto alla educazione, i genitori, non sono di questo parere. Le scuole delle Suore vengono ancora ricercate e preferite anche da molti che sono al margine della vita religiosa o lontani da essa. In quanti Paesi la vocazione delle religiose insegnanti e il numero delle loro scuole rimangono molto al di sotto delle richieste! E questo non è un puro caso! Perciò può ben aggiungersi, non solo per l'Italia, ma in generale: Si deve attendere da coloro, che hanno parte nella formazione della legislazione scolastica, tanto proposito di giustizia e tanto, vorremmo dire, senso democratico, da corrispondere alla volontà dei genitori, di guisa che le scuole fondate e dirette da Istituti religiosi non siano poste in condizioni peggiori delle scuole dello Stato e sia ad esse riconosciuta quella libertà, che è necessaria al loro sviluppo.

Ed ora parliamo brevemente della vita religiosa in se stessa. - L'abito religioso: sceglietelo tale, che sia l'espressione della interna naturalezza, della semplicità e della modestia religiosa; allora esso sarà di edificazione a tutti, anche alla gioventù moderna.

La castità, la verginità (che importa anche l'interna rinunzia ad ogni affezione sensuale) non fa le anime estranee al mondo. Essa piuttosto desta e sviluppa le energie per più larghi e più alti uffici, che oltrepassano i limiti delle singole famiglie. Vi sono oggi non poche religiose educatrici e infermiere, le quali sono, nel miglior senso della parola, più vicine alla vita che non le persone comuni nel mondo.

Anche le norme delle Costituzioni, prese secondo la lettera e lo spirito, facilitano e procurano alla religiosa tutto quel che le occorre e che deve fare, al tempo nostro, per essere una buona insegnante ed educatrice. Ciò si manifesta anche nel lato puramente tecnico. Per esempio: oggi in non pochi Paesi anche le Suore usano, nei debiti modi, la bicicletta, quando il loro lavoro lo rende necessario. Al principio era cosa del tutto nuova, ma non contro la Regola. — È possibile che alcuni punti dell'orario, alcune prescrizioni, le quali non sono che semplici applicazioni della Regola, alcune consuetudini, che corrispondevano forse a passate condizioni, ma al presente non fanno che intralciare l'opera educativa,

substructa compago, quae quidem saepe magnum supernaturalem vigorem et nitorem demonstrant et exigunt.

Placeat nunc vobis ex ore Nostro percipere aliqua, quae ad religiosa nuncupanda vota et ad tirones vestros rite instituendos attinent. In tractandarum rerum ordine hoc legimus propositum argumentum: « Institutio ad oboedientiam religiosam: exercitium auctoritatis ac reverentia erga personam subditi». Certe summopere oportet, supernaturalis oboedientia, in Deum caritatis ignibus alita, arcte et adsidue volentique animo ad statutarum legum normas in religiosis domibus excolatur et vigeat. Nonne religiosae disciplinae et vitae solida hic insidet fultura? Nonne magna incepta, quae religiosi sodales perfecerunt et perficient, tantum, oboedientia coalescentibus viribus, felices nacta sunt et nanciscentur exitus? Salutare igitur agnoscite et veneramini et libenter accipite, quasi pondus fortium, oboedientiae iugum! Verumtamen hoc tempore, quo machinae ubivis tenent imperium, quo technica moderatio omnia invadit, combibit, ad suam imaginem fingit, moderatores curent, ne eos qui nutui suo obtemperent, veluti merces aut machinamentorum partes tractent, sed semper in iis humanam vereantur personam.

